




6
7–e
5


6
2 E
37



PAVLI BENII EVGVBINI SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS


AD

BENEDICTVM IVSTINIANVM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM

DISPVTATIO.

IN QVA QVAERITVR, AN SIVE Actori, siue Reo, & in vniuersùm Oratori ingenuo; liceat in Iudicijs & concionibus affectus concitare: ac Iudicum animos flectere & permiscere.

Opus cum optimarum artium studiosis omnibus, tum præsertim I. C. & Concionatoribus vtile, vt speratur, & periucundum.





ROMAE,

Ex Typographia Gabiana. Anno CIↃ IↃ XCIV.

Cum Priuilegio, ac Facta à Superioribus potestate.




AD

BENEDICTVM IVSTINIANVM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM.

Paulus Benius Eugubinus.

QVOD TIBI NVPER, SIVE TVAE IN ME PIETATIS AC BENEFICENTIAE, SIVE MEAE IN TE VOLVNTATIS ET OBSERVANTIAE, PRIVATIM EXTABAT MONVMENTVM;
NVNC;
QVOD BONVM, FOELIX, FAVSTVMQVE SIT, PVBLICIS LITERIS MANDATVM, AC RELIGIOSISSIMI ORNATISSIMIQVE NOMINIS TVI AVTHORITATE AC SPLENDORE MVNITVM ET ILLVSTRATVM, ALACRI ANIMO EXCIPERE ET FOVERE PRO TVA SINGVLARI BENIGNITATE NE DEDIGNERIS.



APPROBATIO.

Ego Pompeius Vgonius Sacræ Theologiæ Doctor mandato Reuerendiss. P. Magistri Sacri Palatij, vidi Disputationē Pauli Benij Eugubini Doctoris Theologi, in qua quæritur An ingenuo Oratori concitare affectus, & auditorum animos flectere liceat; nihilque in ea animaduerti quod editionem retardare debeat. Quin & ob insignem orationis elegantiam, mirámque eruditionem dignum opus existimo quod imprimatur.

Ego Pompeius Vgonius Sacræ Theologiæ Doctor.


PRIVILEGII SVMMA.

Ne quis ad decennium Oratoriam hanc Disputationem, aut etiā reliquas quæ deinde ab eodem Authore edentur, siue coniunctim siue diuisim prætextu vllo sine ipsius Authoris licentia aut imprimere aut impressas vendere audeat in Ecclesiastica diti one; Clementis VIII. Pont. Max. diplomare ac pœnis cautum est.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM.

Quò gratiorem tibi accidisse sensero, LECTOR candide, hanc quam edimus Disputationem, eò impensius curabo vt breui cæteræ illæ expediantur & edantur quas in hac extrema pollicetur Author. Interim hanc æqui bonique legito & foueto. Vale.





NVM ORATORI; INGENVO PRAESERTIM AC PIO, LICEAT IN IVDICIIS ET CONCIONIBVS AFFECTVS CONCITARE: ATQVE AVDITORVM ANIMOS PERMISCERE.

AD BENEDICTVM IVSTINIANVM CARDINALEM.





TSI maiora ſunt, CARDINALIS AMPLISSIME, benignitatis in me tuæ argumenta, ac pietatis officia, quàm vt parem vnquam tibi gratiam referre poſsim; non committam tamen vt grati ſaltem animi nulla tibi extet ſignificatio: nulla obſeruantiæ erga te meæ ac venerationis teſtificatio. Neque verò aliunde mihi in præſen-

tia captanda erit occaſio, quàm ex eruditiſſimis ac perhumanis colloquijs tuis. Etenim cum mecum aliquando, quæ tua eſt comitas morum atque ſuauitas; de doctrinarum ſtudijs verba faceres: atque interim pro re nata acutè multa (vt ſoles) ſapienterque diſſereres, ad Ariſtotelem tandem deuenimus. Cumque varia tibi de illo ſciſcitanti, illud ipſe ad extremum reſpondiſſem, Ariſtotelem ingenij atque doctrinæ magnitudine vſque adeò excelluiſſe, vt inter Ethnicos nemo vnquam poſt homines natos (niſi tamen Platonem excipiamus) eum non modò ſuperarit, ſed ne æquarit quidem; continuò de me quæſiſti quid tandem inter varias illius lucubrationes maximè omnium præſtaret ac cæteris antecelleret. Tum ego. Sunt qui eos libros quos de Rhetorica ſiue de dicendi ratione conſcripſit, tanquam abſolutiſſimum opus ac propè diuinum celebrent. Alij libros de moribus contra extollunt, ac Rhetoricæ anteponunt. Sed, ſi me audias, ad miraculum ferè vtrunque excellit opus: atque omnem planè ſuperat opinionem. vt ſatius ſit vtrunque admirari & colere, quàm magnopere diſceptare cui tandem

dem

dem victoriæ palma debeatur. Sed (vt ingenuè fatear) vix hæc protuli, cum mecum ipse dubitare cœpi quin Rhetoricos libros plus æquo æstimassem, ac longiùs quàm par erat, laudassem. Etenim repetebam animo Aristotelē in ijs libris tractasse multa, ac copiosissimè etiam tractaße, quæ mihi aliquando vehementer suspecta fuerant, verenti ne aut nobis turpiter quædam imponeret, atque ad malas artes oratorem informaret: aut certè ex eodem fonte frigidam simul & calidam hauriendam obijceret. Sed quid hoc tandem? Illud nimirum quod ad affectiones animorum perturbationesque pertinet. Etenim cum priscos Rhetores ea de causa reprehendisset Aristoteles, quòd enthymematis interim spretis, ad permiscendos animos suum illi studium retulißent: nefariamque eiusmodi artem quæ tanquam iudiciorum perturbatrix, ne dicam pestis, ab optimè institutis ciuitatibus arceretur, arctè admodum tenerent, accurateque defenderent, ecce tibi non multò post tanto illam excoluit studio; ac de affectibus permiscendis tam distinctè, acutè, copioseque disseruit, vt reuera apud summum hunc Philosophum,

sophum,

ſophum, eximiumque dicendi Magiſtrum, nihil aut maiore induſtria elaboratum, aut acriore ingenio perfectum legi poſsit. Quid multa? is qui paulò ante animorum motus non ſolùm foro, iudicijs, curia, vrbibus ipſis eijcere, ſed terra marique inſectari viſus erat, atque vt eorum ſtudioſis aqua & igni interdiceretur, decernere; mox ferè tam varias multiplicesque præſtigias animis adhibet concitandis: vſque adeò robuſtis illos quatit machinis atque tormentis, ut non tam Rhetor, quàm perturbationum machinator, ac præſtigiarum architectus appellandus eſſe videatur. Quamobrem cum his diebus me paululum collegiſſem, atque à negotijs quibus non ſine animi moleſtia diſtinebar, ad honeſtum ocium, ac litterarum denique ſtudia reuocaſſem; nihil antiquius habui quàm vt perueſtigarem quid ingenuo Oratori ac Chriſtiano præſertìm, in hac eſſet controuerſia ſentiendum: quæ moderato viro ac frugi probanda ac retinenda ſententia. In quam ſanè rem eo maiore ſtudio animum deinde intendere cœpi, quòd animaduerterem ex hoc velut initio præcipuas quaſque pendere Rhetorum

contro-

controuersias. Etenim si decreuerimus affectus non esse permouendos, statim etiam corruet quaestio ac disceptatio illa vniuersa, in qua dubitatū est cuinam sit ex tripartito dicēdi genere, siue ex tribus artificiosæ fidei partibus, eloquentiæ palma deferenda. qua sanè dubitatione nescio equidem an alia extiterit vnquam, quæ Græcorum Latinorumue Rhetorum studia magis commouerit, aut vehementiùs exercuerit ingenia. Huc accedit quòd cum iisdem artibus se ipsum afficere debeat Orator, ac varios sibi mores affingere, quibus cæteros siue afficere, siue ornare solet; inprimis verò varios hominum ætatumque mores ac propensiones exploret, hæc morum propensionumque tractatio, si animis adhibere motus haud liceat, quibus vel vnis, vel maximè seruit, erit ab Oratoris munere aliena. Quo sanè fiet vt Rhetorica Ciuilis seu Moralis facultatis germen esse desinat atque propago: ac Ciuilis scientiæ, vnde tanta illi fit accessio dignitatis, habitum speciemque amittat. Denique quæ tam accuratè & copiosè, tantaque cum approbatione Rhetorum omnium de affectibus ac moribus docuit Aristoteles,

teles, tanquam infames scopuli cauênda erunt omnia. Quin etiam omnino præcipiendum erit vt Demosthenes ac M. Tullius, hoc est clarißima eloquentiæ lumina, ab Oratorũ Gymnasiis atque palæstra facessant longiùs: atque adeò in extremas vsque oras amandentur: præcipuè verò ornatißimæ quæque ac celeberrimæ eorundem orationes, quippe quæ ad afficiendos perturbandosque animos sunt comparatæ, tanquam funestißimæ societatis humanæ faces execrandæ erunt atque detestandæ. Quid plura? Gallorum omnium delenda funditus, atque euertenda erunt iudicia: quæ Atheniensium fermè Romanorumque iudiciorum more exerceri consueuere, concitandorum animorum vsu atque consuetudine diligenter retenta. Quo fiet vt cum eiusmodi consuetudinem, iudiciorumque rationem, & florentissima Venetorum Respublica pro virili colat ac tueatur: & nobilissimæ quæque Italiæ Vrbes aliqua ex parte amplectantur; præcipua Italiæ Iudicia, quippe iniqua & perniciosa, innouanda & commutanda sint. Id quod inprimis præclarissimo Senatui Genuẽsi ac Mediolanensi accidet: in quibus sanè (quod

(quod ego magna cum animi voluptate partim obseruaui CARDINALIS Religiosissime, partim ex alijs cognoui) sic peraguntur ac tractantur causæ, vt in illis non obscura eluceat antiqui Romanæ Reipublicæ splendoris, ac senatoriæ illius dignitatis imago. Sic tandem fieret, vt Atheniensium ac Romanorum non iudicia modò, sed & curia & forum ipsum, quæ suis quasi conuulsa sedibus ad Venetos & Gallos, maximè verò ad Genuenses Mediolanensesque commigrasse, hosque veluti Christianæ Reipublicæ firmamentum, Italiæ florem, ac dignitatis ornamentum delegisse visa sunt, Gallia atque Italia ferè tota conciderent & obsolescerent. Vt interim de Christianæ legis oratoribus nihil dicam, qui cum maximè omnium in flectendis commouendisque auditoribus elaborare soleant: idque veræ sibi gloriæ ascribere non dubitent; nunc tandem eiusmodi orationis genere repudiato, infantes omnino ac propè muti euaderent. Ergo cum hæc animaduertissem, vt dicebam; & quàm scopuloso in loco versarer quotidie magis intelligerem; multa ex vetustioribus studijs mecum ipse reputare, varia ex optimorum

Rhetorum

Rhetorum Philoſophorumque commentarijs agitare mentis ſenſu; plura ex doctorum virorum congreſsibus atque colloquijs repetere cogitatione atque in memoriam reuocare cœpi: cum veteris memoriæ ab adoleſcentia ferè ipſa repetitæ, ſubijt animum recordatio: quam profectò tibi omnino exponendam eſſe cenſui BENEDICTE CARDINALIS. Eſt enim tum honeſtiſsimæ plena iucundatis: & ad hanc rem quam quærimus, peropportuna: tum verò Chriſtiani Principis auribus; non ſecus ac purpura optima & probatiſsima auro gemmisque; digniſsima. Tametſi enim multæ ſunt & variæ eædemque (vt verè dicam) perdifficiles & graues: addo etiam pulcherrimæ ac periucundæ quas inter clariſsimos Rhetores atque Philoſophos agitari animaduerti controuerſias ac diſputationes, nulla tamen, quod tu pro tua ſapientia optimè iudicabis; adhuc exorta eſt, quæ plus non modò vtilitatis & voluptatis, ſed ſplendoris ac dignitatis habeat: quæque cum re Chriſtiana maiorem habeat ſocietatem & coniunctionem. Sed ad rem venio. Etenim cum M. Antonium Muretum, cui ſanè operam dederam

ram adolescens, officij causa domi conuenissem aliquando: ac post multa, vt fieri solet, quid de quæstione hac grauißima sentiret ex eo sciscitarer; ecce tibi nunciatur aduentare, ac iam iam adeße duo florentißima eius ætatis ingenia, ac splendidißima lumina. Erat autem ex ijs vnum Carolus Sigonius, vir sanè cum omni ferè doctrinarum laude ornatus: tum maximè eximia quadam rerum gestarum ac totius antiquitatis scientia excultus & perpolitus. Venerat enim Romam per eos dies, vt Gregorio XIII. pulcherrimos offerret, quos de Occidentis imperio scripserat cõmentarios. Alter erat Achilles Statius, Vir a forensi strepitu, ac popularibus concertationibus remotus ille quidem: quique in præsentia à publicis ingeniorũ theatris abhorreret, & vulgari luce: sed tamen cum paucis intra domesticos parietes mirificè aleret eam gloriam & laudem quam ex honestis vigilijs, solidisque virtutibus capere licet: vt propterea apud viros doctos eorum tẽporum πένταθλος *haberetur. Nã præter quam quòd in Hebræis Græcisque literis (vt de latinis taceã) apprime versatus erat & eruditus:*

Poetarum verò ac Rhetorum studia magna cum laude coluerat: sacræ profanæque Philosophiæ instituta atque præcepta callebat non mediocriter. Sed inprimis (id quod charum reddebat illum bonis omnibus) cum excellenti eruditione atque doctrina eximium pietatis religionisque studium coniunxerat. Hos igitur cum perhumaniter excepisset Muretus, atque amicè consalutaßet, iußit in hemicyclo honestißimo in loco considere. Tum Sigonius. Et qua de re obsecro, mi Murete, erat eruditissimus sermo vester? nam sat scio tuam domũ Vrbi vniuersæ tanquam ludum quendam eruditissimum patere. Atque hac ipsa spe adductus, libenter Statio nostro assenseram vt ad te venirem, etsi negocijs implicatus varijs. Cui Muretus. Non te quidem omnino fefellit opinio Carole ornatißime. Nam erudito planè viro dignus erat noster sermo: quique tuo maximè ac Statij ingenio atque doctrina indigeret. Quæsitum enim de me fuerat quid sentirem in celeberrima ac nobili controuersia quæ inter summos dicendi Magistros ac Philosophos iandiu agitatur de perturbatrice animorum

oratione:

oratione: atque vtrum hanc retinendam, an verò iudicijs & concionibus pellendam esse arbitrarer. Quare opportunè quidem præsto estis, qui laboranti amico succurratis. ipse enim (vt verissimè fatear) iam cœperā æstuare. Tum Statius. Annon prædixeram tibi Carole, fore vt nos statim M. Antonius suis illis humanitatis laqueis, ac suauissimis moribus irretiret? Verissimè tu quidem narras, inquit Sigonius. Sed esto. nam si Mureto obtemperemus, erit honestus hic noster labor cum amico periucundus, tum nobis vtilis ac fructuosus. Cum enim nostram illi opinionem exposuerimus; ipse (mihi crede) vtrunque nostrum, aut me certè vnum, instituet altiùs, ac de re tota docebit vberiùs. Ego igitur, quemadmodum existimaui semper non boni Oratoris esse ac liberalis, sed versuti & callidi, afferre perturbationem animis, & commotiones excitare: ita paratus sum meæ vobis sententiæ rationes (si placet) exponere. Tum verò Statius. Perbelle itaque se res habet. Nam cum altera mihi sententia semper arriserit: ac liberali Oratore digna visa sit, ipse etiam paratus sum pro virili parte mea,

meam ſententiam confirmare: ita tamen vt Muretus ſuum hac in re iudicium tandem interponere ne grauetur. Tum ille. Agite itaque amici optimi: ac quod tam humaniter polliciti eſtis, perſoluite. Mihi enim conſtitutum eſt oneri ſuccumbere potiùs, ac tandem inſcientiam meam patefacere, quàm me ipſum interim priuare tanto bono: ac doctis perpolitisque diſputationibus veſtris, dum licet, non oblectari ac frui. Quæ cum dixiſſet M. Antonius, continuò ſeſe collegit Sigonius, paulùlum ſecum ipſe cogitans: moxque voce illa erudita, ac Romanis Græciſque auribus non indigna, hunc in modum exorſus eſt.

SVADETVR nefas eſſe auditorũ animos permiſcere: idque primùm Grçcorum exemplis & authoritate: quibus oſtenditur.

COGitanti mihi M. Antoni, & exempla Veterum, memoria repetenti, cum alia occurrunt multa, quibus repudiare eos Oratores cogor, qui in perturbandis animis occupantur: tum illud inprimis quod de ſanctiſſimo Areopagitarum Senatu multarum gentium literis atque laudatione proditum & commendatũ eſt. Etſi enim nihil non intueor in celeberimo Senatu illo, quod eius mihi prudentiam, æquitatem, ſapientiam, integritatem non mirificè

Quid ſenſerint Areopagitę.

teſtetur

testetur ac probet; veruntamen cum animum in eam legem cõuerto, vnde Orator, effrenata illa dicendi licentia deposita, ad castimoniam ingenuitatemque reuocatur; sacrosanctũ Iustitiæ domicilium mihi videor intueri. Et quidem sapienter apud eos erat in more positum † vt ex laudatissimo Thesmotetum (ferendis emendandisque legibus ij præerant) collegio, ijque integerrimi ac probatissimi in eũ Senatum cooptarentur: præclarè † vt ijdem & iudices essent & Sacerdotes: egregiè vt moribus corrigendis sic inuigilarent † vt vel quid quisque ageret, quoue sustentaretur quæstu peruestigarent: prudenter † vt se impenetrabiles præstarent, ac celantissimos arcanorum: sed impotentes Oratorum impetus temerariosque conatus fregisse: theatralem illam petulantiam vel mimo indignam repressisse: ac Prooemijs denique, Epilogis, & motibus animorum sublatis, grauitatem, moderationem, integritatem in Curiã Senatumque reuocasse; id verò immortali præconio atque omnium gentium comendatione celebrandum est. Hinc sapientissimus ille senex, qui oraculum ipsum laudatorem summum inuenit; Socrates, cum

† *Plut. in Pericle, & alij.*

† *Iosephus lib. 14. antiq. c. 6.*

† *Valer. Max. lib. 11. Plut. in Solone & alij.*

† *Vide Alagium.* Ἀρεοπαγίτου στεγανώτερος.

Quid Socrates.

cum non apud Areopagitas, sed apud Vndecemuiros suam causam ageret: liceretque ei iudices ad misericordiam excitare; Areopagitarum tamen memor legis ac sapientiæ, maluit honestè mori, quàm vitam turpiter deprecari. Quapropter cum sic egisset causam suam, vt nihil aliud expectari posse videretur, nisi vt de more, iudicum clementiam imploraret: vxorem, amicos, liberos sordidatos produceret: denique causam lacrymis potiùs quàm dicendo peroraret; iudices ipsos non sine ingenti omnium admiratione hunc in modum alloquutus est †. *Iam verò aliquis fortasse vestrum reperiatur, qui in se ipsum receptamque consuetudinem intuens, grauiter ferat, quòd cum leuioribus etiam in causis reus multis cum lacrymis soleat iudicibus supplicare: atque amicos, cognatos, filios in iudicium producere, vt ad commiserationem illos cõmoueat; nil horum ipse faciam, quamuis in extremo, vt videtis, discrimine constitutus. His igitur offensus aliquis, mihi magis ac magis succenseat: irritatusque sententiam contra me ferat. Si quis itaque huius mentis inter vos est; ego tamen ad supplicationes*

† in Apologia.

tiones

tiones confugiendum minimè arbitror. quin- »
etiam virum istum erga me tam grauiter »
affectum moderato hoc sermone esse compel- »
landum. Sunt equidem & mihi, Vir optime, »
cognati quidam. nam, vt est apud Homerum, »
οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρης πέφυκα, »
ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων. »
Non ego de quercu natus sum, aut caute re- »
uulsus: »
Ast hominum satu. »
Itaque & cognati mihi sunt, Viri Athenien- »
ses: & filios tres habeo, quorum vnus iã ado- »
lescit: duo verò sunt paruuli. nullum tamen »
eorũ huc adducam supplicaturus, vt a vobis »
iudicio absoluar. Sed cur ita Socrates? Non »
pertinacia quidem, aut quòd vos cõtemnam: »
Sed eam ob causam, quòd meam, vestram, »
atque adeò totius Reipublicæ existimationem »
dignitatemque decere minimè arbitror id fa- »
cere: cum præsertim, & ego id ætatis natus »
sim: & apud homines sapientiæ nomen (quan- »
quam hoc mihi vindicare nunquam ausim) »
nescio quo pacto inuenerim. Hæc & alia »
permulta aureus Socrates: quibus sanè per-
spicuè declarat, nec iudicum integritatem,
nec


nec Reip. authoritatem, nec dicentis grauitatem ferre, vt auditorum animi concitentur ac misceantur; quin potiùs hoc pueris ac mulierculis dignum esse. Atque hac etiam de causa paulò post exclamat, id facere, nec iustum esse, nec sanctum, nec honestum: nec proinde a iudicibus tolerandum. Neque verò aliunde contigit, Auditores, vt cum Lysias disertissimus Orator luculentam illi orationem attulisset, vt eam edisceret, ac pro se diceret in iudicio: ipse † recusarit illam, nisi quòd ea per lecta, animaduerteret non naturalem in illa nitorem inesse sed fucatum: atque Oratorum lenocinijs & blandimentis ad iudicum tentandos ac mitigandos animos instructam esse. Quæ cum ita sint, superuacaneum fortasse videri posset quicquam hoc loco de Platone commemorare: quem Socraticæ disciplinæ cultorem optimum, ac sectatorem acerrimum fuisse constat. Quanquam quoniam inter priscos illos Philosophos hic vnus post Socratem visus est oculos in Cælum sustulisse: & admirabili Dei prouidentia constituta, sanctitatem, atque iustitiam in Vrbes ac Respublicas reuocasse: Oratoribusque inprimis, quippe qui propter

De Socrate rursus.

Quid senserit Plato.

† in c

propter effrenatam illam dicendi libertatem Reipublicæ euersores, ac parricidæ viderentur, moderationẽ adhibuisse, lubet pauca quædam ex Philosophi huius disertissimi, atque Oratoris sapientissimi opinione delibare. Ergo is est qui velut è specula circunspiciens & perlustrans corruptos Atheniensium mores, ac dãna in Remp. importata, hæc omnia in Periclem aliosque turbulentos Oratores† retulit, qui propter adulterinam dicendi virtutem, perturbatricemque animorum eloquentiam, ciues modò agrestes, immites & feros; modò effœminatos ac molles; denique mirè flexibiles effecissent. Hinc eleganter (vt sæpè solet) Oratores interdũ cum coquis, sæpè cũ Tyrannis aliquando etiam cũ malo auriga conferre non dubitauit. Nam quemadmodum sumptuosus coquus ac delicatus omnes condimentorũ suauitates peruestigat, vt conquisitis epulis moroso intemperantis heri palato seruiat ac satisfaciat: sic interdum isti omnia verborum lenocinia, omnes orationis illecebras consectantur, quibus animos (id quod de Lysia, Isocrate, ac Phalereo legimus) capiant, molliant, eneruent, effœminent. Rursus quemadmodum Tyrannus, vt suas expleat cupiditates, nihil



non audet in ciues, ac per vim miſcet diuina, humanaque omnia: ita eiusmodi Orator pro libidine vim infert animis auditorum: eoſque quancunque velit in partem orationis quaſi præſtigijs compellens, miſcet ac perturbat omnia. quæ ſanè res in Alcibiade maximè (vt de Demoſthene ac Pericle ſileam hoc loco) vſque adeò apparuit, ut Græciam aliquando ſurſum deorſumque uerſare diceretur. Denique quod malo aurigæ vſu venire ſolet, vt ab ijs ipſis, quos exercuit ſeu potiùs efferauit, equis de curru deturbetur tandem, & agatur præceps; id priſcis illis Oratoribus accidit, qui ab ijs quos inſtituerant ciuibus è Reip. gubernaculis deiecti atque exturbati ſunt. Hinc Pericles (inquit Plato) peculatu accuſatus, parum abfuit quin capite plecteretur. Cimon oſtraciſmo mulctatus eſt: & in Senatu iuſſus decennio conticeſcere. Themiſtocles patria pulſus eſt, & in exilium eiectus. Miltiades (niſi Prythanei interceßiſſent) in barathrum præceps datus eſſet publico decretò. Atque huc ſanè ſpectat, quòd eos omnes, qui eiusmodi ſectantur ſtudiũ modo γόητας appellat, hoc eſt præſtigiarum artifices; modò ἐπῳδοὺς (hos tu veneficos, vel incantatores,

tatores, ſi mauis, ſed parum latinè dixeris) modò κόλακας id eſt adulatores, quique ad alterius nutum ſeſe componunt ac vertunt. Denique
& 4. *(ne plura hoc loco de Platone dicã) eiecit †magnus hic Reip. author atque Magiſter, eiecit inquam, imitatores poëtas omnes: atque in delicatiorem vrbem & molliorem ex conſtanti illa ſua atque virili poëtarum coryphæum Homerum coronatum migrare iuſsit. At quam tandem ob cauſam, cum præſertim eum aliquando viſus eſſet extollere atque admirari? ob eam ſcilicet, quam & ipſe in ſua politia indicauit: & Maximus Tyrius author perpo-*
7. *litus & grauis, copioſè † perſecutus eſt. nimirum intelligebat poëſim atque imitationẽ maiorem vim quandam habere ad percellendos concitandoſque animos, quàm moderatæ Reip. ac frugi ad diuturnitatem expediat. quid igitur mirum ſi Oratori quem cõmendare, atque ad Iuſtitiam & patriæ commoda tuenda inſtruere viſus erat aliquando, diem dixit: ac multa, eaque grauia crimina obiecit, cum videret Rempublicam propter turbulentas ſiue etiam effœminatas Oratorum conciones labefactatam atque corruptam? Sed & gra-*

Quid Carneades.

uißimus Philoſophus atque Orator Carneades† qui nullam vnquam ſuis diſputationibus rem defendit quam non probarit: nullam oppugnauit quam non euerterit, vehementer ſolebat eos irridere, qui eiuſmodi incitamentis, ac lenocinijs auditorum gratiam aucuparentur. Quin etiam Procemium atque Epilogum (quæ duo præcipuè ad conciliandos impellendóſque animos ſunt comparata) meras nugas appellare ſolebat. Denique inſinuatione cæteriſque huiuſmodi illecebris poſthabitis omnibus, ad rem ipſam ſine fuco & fallacia ſtatim aggrediebatur. Et ſapienter quidem: intelligebat enim Oratorem non hiſtrionem ac mimum agere, cui ſcenæ atque adeo plebeculæ auribus ſit ſeruiendum: ſed ciuis honeſtißimi perſonam ſuſtinere, quem Senatus grauitatem, Iudicumque authoritatem vereri deceat. Sentiebat eloquentiam non verſatilem quaſi cothurnum eſſe, qui mulieri perinde ac viro conueniat: & ſiniſtro non minus ac dextro aptetur pedi: ſed eſſe Sapientiæ florem, Iuſtitiæ robur, Reipublicæ firmamentum: quibus optimi quique ac ſapientißimi ciues patriæ ſalutem conſtanter

†Tr. de or.


ter

ter tueri debeant. perspexerat sibi non demulcendas vulgi aures, aut auditoribus blandiendum: nec contra veluti è plaustro conuicijs agendum & maledictis. sed moderationem, æquitatem, prudentiam perpetuò colendam esse & retinendam. demum cum optimè nosset Veritatem non aduentitijs coloribus ornamentisque, sed insito decore ac pulchritudine gaudere, facileque etiam aurei prouerbij meminisset ΧΆΡΙΤΑΣ ΓΥΜΝΑΊ, *NVDAE GRATIAE, nihil fucatum auditoribus afferendum censebat, & ad occupandos animos comparatum: sed rationum momentis innitendum: quibus copiosa quidem ac diserta, sed candida tamen ac simplex efficeretur oratio.*

Sed neque ab hac sententia abhorruit Aristoteles: qui tametsi viam nobis† commonstrauit, qua poßimus flectere auditores ac perturbare;† anteà tamen, & luculentè laudauerat Areopagitas, qui non sinerent Oratores eiusmodi machinas iudicum animis admouere: & veteres Rhetores reprehenderat, qui omne suum studium hac in re collocauerant. Qua etiam in re sic illos vrget,

† l.2.Rhet. — † L.1.Rhet. — Quid Aristoteles.


vt



vt velit nihil tandem nisi ea tractasse, quæ essent ἔξω τοῦ πράγματος, quæ (inquam) ad institutũ non pertinerent: & idcirco etiam eadem rursus ἀλλότρια † nuncupat, hoc est inania & superuacanea. Quid quod vix fortasse Respublica vlla inuenta est apud Græcos optimis institutis ac legibus temperata, quæ aut procacibus istis Oratoribus tanquam frenum non iniecerit: aut eosdem solum vertere non publico decreto iusserit? Certè & Lacedæmones † legimus expulisse Rhetores è ciuitate: & Aristoteles ipse alios multos id fecisse indicat: cum apud multas Respub. sancitum fuisse † testetur ne Orator extra rem diceret: ac rursus affirmet eas Ciuitates, quæ bonis legibus constitutæ essent, partim existimasse legibus esse cauendũ, partim etiam reipsa cauisse ac prohibuisse ne Orator à causa digrederetur. Sed quid multis opus est? etenim constans fuit semper Græcorum Philosophorum sententia, ac Stoicorum inprimis, quos præ cæteris animi moderationẽ virtutesque omnes coluisse constat, tales Oratores esse penitus explodendos: ita vt ne M. Tullius quidem qui tale orationis genus acerrimè visus est propugnare, inficiari † ausus sit iu-

QVID Græcorum Respublicæ: ac Lacedæmones inprimis.

† lib.

† Ter in A. 42.

† lib. Rhet.

† lib. orat.

iudicasse philosophos nefarium scelus esse, motus animis adhibere. Hæc de Græcis in præsentia. Veniam modò ad Latinos, nisi tamen quoniam te subridentem Murete video, aliquid interuenit, de quo me moneas. Tum Muretus. Nihil planè mi Sigoni. Nam illud vnum subridebam, quod cernerem Statium in summa quadam cogitatione defixum. Credo quòd boni instar Oratoris tuorum exemplorum ordinem ac summam memoriæ commendaret, vt ad defensionem esset instructior. Cui statim Statius. Acutè tu quidem & cernis, & iudicas: verè enim percurrebam animo exempla illa veterum Græcorum: sat enim scio te defensioni meæ alteram aurem reseruasse. Immo verò (inquit Muretus) vtranque singulis vacuam & præbeo, & seruo: implebit enim (vt spero) eas vterque. Sed iam tu Carole perge si placet. Cui statim Carolus. Pergam sane: atque à Græcis, vt dicebam, ad Latinos diuertam. apud quos occurrit mihi primùm magnus ille Senator Cato (de maiore loquor) quẽ propter eximiam prudentiam, singulareque in Rempub. studium, inprimis verò propter grauißimos integerrimosque mores, iure optimo Romano-

AGITVR IAM exemplis & authoritate Latinorum. nimirũ Catonis.

Romanorum Areopagitam vocare possis. Ergo is est, qui (quod non sine laude de eo commemorat † M. Tullius) corruptos eiusmodi Oratorum mores ac dicendi libertatem cum molestissimè ferret, illud Sergio Galbæ obiecit, quòd demortui parentis commemoratione, filiorum commendatione, multis denique lacrymis iudices ad misericordiam impulisset: cum interim etiam Q. Sulpitium propinquum suũ tenera ætate adolescentem ac pupillum suis penè humeris extulisset: ac populum Romanum, quò ipsi fletum moueret, tutorem instituisset liberorum orbitati. Sed quoniam suos quoque Areopagitas Latinis hac in re fuisse vidimus, an suos quoque Socrates habuerint videamus. Et quidem Romanus Socrates in ijs Oratoribus insectandis fuit † P. Rutilius Rufus. Hic enim cum in magno discrimine versaretur, non modò supplex iudicibus esse noluit: sed ne ornatiùs quidem ac liberiùs causam dici, quàm ferret simplex oratio veritatis: malle enim se aiebat exilium ac mortem subire, quàm effœminatum illud ac turpe dicendi genus amplecti. Quocirca M. Tullius (ne me Rutilium putetis temerè cum Socrate contulisse,

P. Rutilij.

† lib. or. ant

† vit. de or

lisse,

lisse, ac quasi alterum Socratem fecisse) de P. Rutilio sic nobis scriptum reliquit. Imitatus est homo Romanus & consularis veterem illum Socratem, qui cum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipso dixit, vt non supplex ac reus, sed magister aut Dominus videretur esse iudicum. Quinetiam cum ei scriptam orationem disertissimus Orator, Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, vt ea pro se in iudicio vteretur, non inuitus legit, & commodè scriptam esse dixit. Sed vt si mihi (inquit) calceos Sicyonios attulisses, non vterer, quamuis essent habiles atque apti ad pedes; quia non essent viriles: sic illam orationem disertam sibi, & oratoriam videri: fortem & virilem non videri. Hæc de Romano Socrate noster Cicero. Sed iam, nisi molestum sit; Oratorem disertissimum ac sapientissimum M. Antonium, & C. Cæsarem Imperatorem summum, qui & ipse dicendi laude non parùm floruit; consulamus: ac quàm mirificè in hoc orationis genere oppugnando consenserint, videamus. Non ne igitur in L. Crassum eade

M. Antonij Oratoris. *causa† inuehitur M. Antonius, quòd iste* †lib. 1 orat. *ad ciuium animos concitandos illud veluti*
" *lymphatus pronunciasset. Eripite nos ex*
" *miserijs. Eripite nos ex faucibus eorum, quo-*
" *rum crudelitas nostro sanguine non potest ex-*
" *pleri. Nolite sinere nos cuiquam seruire nisi*
" *vobis vniuersis, quibus possumus & debe-*
" *mus? inuehitur sanè, eumque irridet simul,* vid. b.1
quòd cerneret hac leuitate verborum fortis
ciuis, virilisque Oratoris grauitatem atque
C. Cæsaris. *constantiam deseruisse. At quid Cæsar? Hic*
profectò (si Salustio† credimus) cum aliquan- †in or. in Catil.
do in Senatu verba faceret, cum alia multa
in hanc sententiam disputauit: tum præcipuè
docuit homines qui de rebus dubijs consul- lib. 15.
tant, ab odio, amicitia, ira atque misericor-
dia vacuos esse debere: cum haud facilè ani-
mus verum prouideat vbi illa officiunt. Hæc
duo isti ciues præclara togæ ac militiæ orna-
menta in corruptam perturbandorum animo-
rum consuetudinem. Quæ sanè consuetudo
(vt apud† Suetonium legimus) mirum est †Sue. Cicer. Quin.
Appij & totius Claudiæ familiæ. *quantopere Appio Claudio, hoc est Senato-* 3.c.6.
ri optimo & laudatissimo, atque vniuersæ de-
inde Claudiæ familiæ turpis visa sit, ac Ro-

mano

mano indigna Ciue. quin etiam (vt idem Suetonius est author) si vnum P. Claudium, hominem nimirum perditissimum, exceperis, nemo postea ex Claudia familia inuentus est qui adduci vnquam potuerit, vt vel in summo capitis periculo aut vestem mutaret, aut populum deprecaretur. Sed prætereundum non est illustre, ac nunquam satis laudatũ † Gn. Domitij Aenobarbi, & L. Licinij facinus: qui cum Censores essent, Lacedæmones imitati, propter perturbatricem istam animorum eloquentiam sustulerunt dicendi magistros: id quod tum alij quidam Romæ deinde factitarunt: tũ verò longè antea Senatus ipse curauerat, qui (vt refert † Gellius) legem tulit qua Rhetores ex Vrbe iubebantur excedere. Hæc de Romanis. Sed ne ineptus sim ego qui in istorum authoritate ac iudicio, etsi perspicuo illo quidem ac nobili, sic niti videar, vt rationes quibus eadem sententia confirmari potest, tacitus prætermittam; iam agam rationibus. Quod dum facio, dabitis mihi hanc veniam, vt quoniam innumeræ propè rationes afferri possent, ex ijs paucas tantùm attingam. omninò enim solidiores seligam (vt spero) ac floridiores.

Gell. c. 11 — Gn. Domitij Aenobarbi & L. Licinij Censorum.


Gel. — Romani Senatus.

NVNC eadem sententia rationibus confirmatur.

ridiores. nam spinosas interim subtilesque Dialecticis relinquere decreui. Ac primùm
Prima Ratio. *lex (si Aristoteli credimus) mens quædam est affectionibus & perturbationibus vacua: atque hoc nomine in libro de Mundo ad Alexandrum non laudatur solùm, verùm etiam cum Deo comparatur. Nam præterquam quod ille in vniuersitate rerum, hæc in vniuersitate hominum dominatur; vterque caret perturbationibus: nullique vnquam mutationi, ac vitio subesse potest. quo fit vt lex optimè iustitiam tueatur, sine qua societas hominum conseruari haud potest. Contra iudex & auditor: qui dum odio, metu, cæterisque cupiditatibus affectionibusque ducuntur, non modò excellenti illa ac planè diuina legis dignitate carere solent: verùm etiam sæpenumero iustitiam violant, & æquitatem. Atque hac vna de causa legi quamplurima definienda esse censuit Aristoteles: iudici & auditori quampaucissima. Quis igitur non animaduertat eum qui concitandi ac perturbandi animos sectetur vias; atque ad metum, odium, affectionesque reliquas compellere auditores nitatur, æquitatis iustitiæque*

tiæque

tiaque hostem, legis oppugnatorem, Reip. atque humanæ societatis euersorem dicendum esse? Huc accedit quòd iudicia sunt consilio Secunda.
& sapientia ad legem veluti ad regulam ac perpendiculum dirigenda. Quocirca quemadmodum artifex (vt præclarè id etiam dis-
serit † Aristoteles) si eam ipsam qua vsurus est regulam, obliquam faciat & tortuosam, tortuosum opus reddet & obliquum: ita etiam perturbatus iudex ac de mente quodammodo deturbatus, temerè iudicium ferat necesse est. Atque hoc etiam illud est quod in eodem simili eleganter persistens Aristoteles, docet in † politicis: vbi ira (inquit) peruertit tortuosumque reddit Magistratus iudicium. Vt "
propterea ex hoc etiam intueri liceat quam "
scitè cecinerit Lucretius.



Denique, vt in fabrica si praua est regula prima,
Normaque si fallax, rectis regionibus exit:
Et libella, aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendosè fieri atque obstipa necessum est.

Verè

Verè enim iudex iudicio perturbato ac veluti distorto, non potest nō temere iudicare: quemadmodum nec faber potest, distorta regula, non opus mendosum reddere. Ad hæc. Tria (si quis rectè recolat) sunt in iudicijs, ac deliberatione: lex, iudex siue auditores, & Orator. legis est sancire quid iustum sit aut iniustum: ac quàm fieri potest maximè, quid agendum fugiendumue sit præcipere. Iudicis, qui est veluti loquens lex aut legis administer; quid factum sit iustè vel iniustè, siue ex lege aut contra legem, perspicere: atque ex legis præscripto sententiam ferre. Oratoris quid in ea causa quam agit, factum aut non factum sit, argumentis docere: idque vt iudex de toto causæ statu edoctus, iudicium scienter ac iustè ferat. quis igitur non intelligat animorum motus concitandarumque affectionum rationes ac vias ad Oratoris munus, ad docendum inquam, nil pertinere: ac proinde affectus ac motus, quoniam ad docendum nullo modo pertinent, non posse ab Oratore sine crimine permisceri? Atque huc fermè pulcherrima illa Socratis spectat ratiocinatio, qua apud Platonem constanter iudicibus reuocat in

Tertia.

memo-

memoriam, vnas demonstrandi partes, tum Oratori, tum Iudici esse spectandas: cum præsertim id vnum sit legibus, quibus sese iureiurando obstrinxerunt, obtemperare. Hinc aurea illa verba: † *Neque verò iustum mihi videtur, vt quis apud Iudices precibus agat: aut si egerit, absoluatur: Sed vt vnum docendi munus tractet. non enim ob id sedet iudex vt cuipiam gratificetur: sed vt secundum leges decernat. id enim est quod iureiurando promisit. Hæc Socrates. cuius quidem argumentationem Aristoteles quoque ad eos Rhetores exagitandos* † *transtulit, qui in proœmiorum artificio atque vsu commonstrando toti essent: ac quicquid præciperent, id ferè totum auditoris afficiendi causa præciperent. Age verò ponite vobis ante oculos, uiri ornatissimi, ex humanis affectionibus aliquam: eiusque vim & naturam diligenter perpendite. sit autem (si placet) iracundia: hanc enim nostis non in iudicia solùm, sed & in omnia causarum genera ab istis introductam esse: atque in Senatu & foro veluti heram agrestem & importunam dominari ac vagari liberiùs. Ergo iracundiam*

Quarta.

diam proximè ad ſurorem accedere, nemo ſortaſſe eſt qui non videat. atque idcirco prudentiſſimi illius ſenis dictum in ſapientum ore eſſe ſolet, Τὸν ὀργιζόμενον νόμιζε τοῦ μαινομένου χρόνῳ διαφέρειν.

» *Iratum ab inſano tēpore tantùm diſtare puta.* *Et Magnus Baſilius Orator ſanè eximius ac ſapientiſſimus illam cũ deſcriberet ac poneret ante oculos* † *aiebat,* μανία τίς ἐστιν ὀλιγοχρόνιος ὁ θυμός.

» *Breuis quidam furor eſt iracundia. Quæ cum ita ſint, is profectò qui ſermonum præſtigijs aliquem ad iracundiam prouocat, eum imitatur qui homines veneficijs & cantionibus de ſanæ mentis ſtatu deturbat: & ad inſaniam furoremque cõpellit. quo fit vt quemadmodum is qui hominem ad furorem adducit veneficijs, Veneficus cenſetur ac flagitioſus: ita etiam qui orationis præſtigijs eundem ad iracundiã impellit, nefarius ac veneficus habendus ſit. Id ipſum de inuidia atque odio contingit: illa enim de alieno bono (de quo tamen gaudendum eſt) mœrorem doloremque incutit: hoc alienis fortunis dignitatique maximè, ac ſanguini demum uitæque ipſi inſidias parat et arma. improbus itaque ſit ac maleficus qui ſiue ad odium, ſiue ad iracundiam, ſiue ad inuidiam*

uidiam concitet Auditores. Quamobrem (vt paulò latiùs manet adhuc oratio) fac serenum sesè nobis cœlum offerre, ac mira stellarum varietate distinctum. mox verò præsto sit aliquis qui verborum efficacitate repente illud ventis, nubibus, tonitruis, imbribus, ingenti denique tempestate compleat: statimque etiam in pristinam serenitatem, si lubeat, ipsum restituat: an quisquam erit qui hunc hominem aut diuinum aut certè maleficum ac præstigiatorem esse neget? minimè verò. cur igitur Oratorem qui breuissimo temporis spatio insitum in animis amorem in odium, spem in timorem conuertat: à misericordia ad inuidiam, à mansuetudine ad iram concitet: oratione demum animi affectiones pro arbitratu ac libidine inflammet ac sedet, præstigiatorem ac maleficum (nisi tamen diuinum illi nomen turpissimè tribuamus) non appellabis? Nā si talē quoque sese ipse fingat Orator: ac nouus veluti Proteus varias continenter mutet formas; nemo est qui non videat quàm sit indecorū & turpe. Ita enim non modò instar ferè †Terentiani illius famuli exclamādum esset, Dij boni quid hoc monstri est? Quarta.

adeon homines momento temporis immutarier, ac tam varias facies ac vultus sumere, vt non cognoscas eundem esse? verùm etiam Flacci illud torqueri posset in Oratorem, quo pueri effingit mores. † Et iram

Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.

† in poet

Prioris huius disputationis conclusio.

Denique (vt cætera omnia prætermittam) si affectus incitandi sunt, si perturbandi animi, si verborum lenocinijs ac blandimentis, si precibus, si lacrymis, si eiulatu, si liberis, si sorditatis amicis atque propinquis, si cruentatis interfectorum vestibus; si viuorum cicatricibus, si defunctorum simulachris, si alijs eiusmodi machinis pertentandi sunt auditores; vituperetur Catonis Socratisque nunquã satis laudata grauitas atque constantia: exsybilentur Appij, Rutilij, ac Nestorés: improbetur non Plato tantùm, sed integerrimus ille Areopagitarum Senatus: ac non subsellijs modò & curia aut etiam foro, sed vrbibus ipsis pellantur, atque in vltimas terras eijciantur. contra verò excipiantur non solùm Pisistrati & Hyperides, aut etiam Gracchi & Saturnini, sed Vlysses etiam & Sinones

nes

nes: ijs sanctissima Reipub. tradantur gubernacula, ne dum Oratoris munus deferatur: immo verò meticulosæ fœminæ rostra conscendant, quæ lacrymis omnia, & lamentationibus compleant: ingens demum muliercularũ turba in foro semper ac Senatu præsto sit, quæ (quod in funere alicubi factitatur) venalibus lacrymis, reuulsoque crine & eiulatibus commiserationem commoueant. Quanquam, quoniam indigna sunt isthæc, & cum honestate, iustitia, sanctitate, humanitate ipsa pugnant; tuæ prudentiæ erit mi Murete, atque eius inprimis quam grauissimi sapientissimique Oratoris famam authoritatemque in hoc sanctissimo virtutum omnium domicilio tot annos sustines; turbulentos eiusmodi Oratores explodere: eorumque motus quasi funestas faces auertere: ac Statium denique nostrum, veluti alterum Crassum, à non sana ista & oratoria, sed dolosa potius & veteratoria, quam nescio quo pacto imbibit, opinione reuocare. Id quod eò magis existimare debes tuarum esse partium, quòd qui & nomine, & dicendi virtute suauissimam prisci illius & eloquentissimi ciuis M. Antonij memo-

…uiam …raiHie …n. 9.

riam Romanis ciuibus renouas: pulcherrima quoque & erudita illius decreta atque præcepta propugnare debes & illustrare. Hæc pro sua opinione Sigonius. Quæ cum perorasset, Ego verò, inquit Muretus, quò magis intelligo me eloquentissimo viro M. Antonio multis partibus imparem esse, eò magis Carole tuam in me humanitatem agnosco, ac beneuolentiam. de qua plura dicerem, nisi me (vt verè fatear) Statij quoque audiendi impediret desiderium: Quare age mi Stati: ac tuum illud excellens ingenium ac sapientiam exere in præsentia. nam (vt vides) cum Carolo disceptas & certas: cui vt me paucis explicem, nisi te Achillem ostenderis, succumbas necesse est. Tum verò Statius timidè sanè vel potius verecundè hunc in modum exortus est.

IAM è contrario multis argumentis efficitur licere auditorũ animos permiscere.

NON inficior M. Antoni, quin & profiteor, & doleo, mihi cum Carolo nostro, hoc est cum fortissimo milite, congredienti, magnopere verendum esse ne succumbam. idque eò magis quòd vt est totius gnarus antiquitatis, instructissimam mihi lectissimorum virorum aciem obiecit primùm, quam non dico superare, sed

sine

sine ingenti trepidatione aspicere, vix licere videatur. Illud tamen interim me magnopere recreat, atque adeò sperare optimè iubet, quòd mihi è superiore loco est decertandum; in quo non difficile sit declinare ac repellere hostium tela: eosdem verò oppugnare, ac profligare facillimum. Quotus enim quisque est, qui non animaduertat eum qui pro eius dignitate facultatis certet, qua nihil ferè ad leges patriamque tuendam, nihil ad pietatem Religionemque amplificandam, dicam paucis, nihil ad benè beateque viuendum aptius optatiusque contingere potest, è superiore loco decertare: atque hosti, si non vsu & ingenio, at certè armis, opportunitate, viribus, fœlicitate ipsa longè superiorem esse? Alacri itaque animo committam, siue etiam instaurabo pugnam: præsertim verò te iudice atque auspice Murete ornatissime, quem satis compertum est eam eloquentiæ partem in qua maximè dominatur oratio, quamque ipse in præsentia tueor, strenuè (vt par erat) coluisse. Primùm verò finge tibi Sigoni humanissime, te enim mea nunc appellat oratio; ac pone ante oculos Oratorem

qui

Primum argumentum: quod illustratur multis exemplis.

qui causam agat honestam illam quidem, quæque viris bonis ac sapientibus æquissima videatur: & in qua demum non Norbani aut Cluentij, sed præstantis Senatoris ac ciuis optimi fortunæ, dignitas, vita ipsa contineatur. Sed tamen sic eam agat vt iudices offenderit aduersariorum oneratos mendacijs: pecunia corruptos & largitionibus: odio quoque (si placet) inflammatos. Quis igitur tam excors reperiatur ac ferreus, qui Oratorem ad optimum ciuem in aperto vitæ discrimine defendendum, licere neget infenso iudici atque irato supplicem esse: eundem emollire precibus, atque ad misericordiam inflectere? aut cur potiùs suo muneri desuisse non affirmabimus, si vetuerit amicos mutatis vestibus adesse: filios imminentem orbitatem deplorare: reum ipsum supplicationibus, lacrymis, omnibus denique quibus poßit eiusmodi auxilijs præsto esse? Ego sanè, viri ornatißimi, si M. Tullio perspecta erat C. Rabirij Posthumi innocentia, non possum non magnopere illius pietatem laudare: qui hæc illi officia persoluit omnia. Cum enim ad iudicum misericordiam comparandam suum ipse dolorem ante iudicum propè

oculos

oculos posuisset: Curij, ex quo Posthumus ortum ducebat, integritatem, eiusdemque Posthumi liberalitatem, temperantiam, pietatem, multas denique magnasque virtutes quibus erat ornatus, commemorasset: aduersariorum quoque iniurias & improbitatem exposuisset: adhibuisset etiam supplicationes ac preces: ad lacrymas tandem confugiens, Sed „ quoniam (aiebat) fidem quam potui tibi præ- „ stiti Posthume: reddam etiam lacrymas quas „ debeo: quas quidem ego tuas in meo casu plu- „ rimas vidi. Atque hunc in modum suas ipse „ lacrymas cum sordidatorum lacrymis mi- „ scens, mœstißimis illis vocibus perorauit. Iam „ indicat tot hominum fletus quàm sis charus „ tuis: & me dolor debilitat, includitque vo- „ cem. Vos obsecro Iudices, vt huic optimo Vi- „ ro, quo nemo melior vnquam fuit, nomen „ equitis Romani, & vsuram huius lucis, & „ vestrum conspectum non eripiatis. Hæc M. „ Tullij officia erga Rabirium, quæ quàm egregiè Miloni quoque præstiterit ciui fortißimo, libenter obseruarem, nisi breuitati studerem. Etenim si quam pro Milone orationem nobis scriptam reliquit Cicero, hanc planè ipsam

habuit in iudicio, vix aliquid videtur excogitari potuiſſe ad Populi Iudicumque animos cum dignitate permouendos, quod ad Milonem præſtantiſsimum Ciuem liberandum non tentauerit M. Tullius. Atque hinc tandem, vt aliquod vobis extet huius rei indicium, manarunt voces illæ commiſerationibus
» *plenæ, ac lacrymis. Hiccine Vir patriæ na-*
» *tus, vſquam niſi in patria morietur? aut ſi*
» *forte pro patria huius vos animi monimenta*
» *retinebitis, corporis in Italia nullũ ſepulchrũ*
» *eſſe patiemini? Hunc ſua quiſque ſententia*
» *ex hac Vrbe expellet, quem omnes vrbes ex-*
» *pulſum à vobis ad ſe vocabunt? o terram il-*
» *lam beatam, quæ hunc Virum exceperit: hanc*
» *ingratam ſi eiecerit: miſeram ſi amiſerit. Sed*
» *finis ſit: neque enim præ lacrymis iam loqui*
» *poſſum: & hic ſe lacrymis defendi vetat. Hæc Ciceronis in Milonem pleniſsima pietatis of-*
Secundum. *ficia. Sed & hos ipſos animorum motus concitandos eſſe ſtatuerim, vbi Orator non modò improbo (vt dicebam) ac minimè beneuolo iudice & auditore vtatur: verùm etiam eoſdem rudiores (quod ſæpe fit) ingenioque tardiores offenderit, quàm vt rationum momenta perpendant.*

perpẽdant. Tunc enim expeditiora ſanè arma arripiat probus Orator; ac robuſtiores machinas iſtorum tarditati mentium expugnandæ admoueat neceſſe eſt: nimirum indoleat Orator oportet: obteſtetur, indignetur, clamet, tonet, fulminet: vt miſericordiam, beneuolentiam, pudorem, metum, atque huiuſmodi affectiones & motus excitet in auditorum animis. Quinetiam in graui cauſa, ſed honeſta tamen, eiuſmodi officia ſic præſtanda eſſe cenſeo, vt ne ſi quidem æquum integerrimumque iudicem ſe nactum eſſe arbitretur Orator, ab affectibus abſtinere debeat. Sunt enim vſque adeò varia hominum ingenia atque iudicia: cauſæ etiã tanta interdum ambiguitate atque obſcuritate inuolutæ, vt vel minima officij prætermiſſio extremam cauſæ iacturã afferre poſſit. Declarauit hoc Milonis fortiſſimi ciuis exilium, ad cuius defenſionem cum non eos eloquentiæ neruos intendiſſet, ac motus adhibuiſſet M. Tullius, quos in ſcribendo oſtentauit & expreſſit, (verè enim, ſi Plutarchum † audias, hanc orationem non ita egregiè ad cõmiſerationem inſtructã pronunciauit quemadmodum nunc legitur) præter opinionẽ ſenſit Tertium.

 Milonem

Milonem fortunis, Vrbe, suorùmque præsentia spoliari: ac Massiliam in exilium amandari. Vt propterea deinde Milo cum orationem ijs quibus cernitur luminibus affectibusque plenam lectitaret, exclamasse dicatur. Si sic orasset Cicero, non Massiliæ barbatos pisces esitaret Milo. Nam Socratē propterea etiam explosum, ac tandem necatum esse quòd vsitatas supplicationes contempserit: Milonem ipsum in exilium eam quoque ob causam pulsum quòd vestem mutare recusauerit, multorum literis † proditum est. Atque hunc sanè morem retinendum esse atque colendum tunc etiam sine vlla dubitatione statuendum est, vbi cum Tyranno, audacissimoue Reip. hoste agatur. cum enim gloriosum sit hunc vi ac ferro opprimere: cur turpe erit ac flagitiosum eundem orationis machinis, lacrymis etiam & supplicationibus oppugnare? Extant huius rei innumera ferè exempla. Sed illud hoc loco commemorare lubet, quo nescio equidem an aliud reperiri possit illustrius. † Erupit Arcadij tempore ex Alpium faucibus truculentus barbarus Gainas nomine. hic præterquā quod Arrianorum peste sese fœdauerat, sexcentis.

Quartum: in quo præclarissimum & admirabile B. Chrysostomi factū exponitur.

† [illegible] Cic.

† [illegible] in Ch[illegible]

centis erat cædibus atque latrocinijs obſtri-ctus: omnique ſcelerum genere coopertus. cumque rapinas inter & ſeditiones potentia nòn minùs eſſet auctus, quàm dominandi flagraret cupiditate; Romani imperij Tyrannidem affectare cœpit. Hinc formidoloſiſſimo exercitu comparato, Italiam ac Macedoniam vaſtare: varias prouincias occupare: Bizantium denique magnis itineribus contendere vt totius Imperij arcem inuaderet. cumque imo pectore anhelaret crudelitatē, ſic conciderunt omnium animi, nullus vt reperiretur qui arma in illum capere auderet: nullus qui legationem ad eum obiret. Cum ecce tibi præſto fuit aureū orationis flumen Chryſoſtomus: vir ab armorum tumultu longè alienus: atque ab omnibus belli præſidijs imparatus. qui quamuis à Tyranno ob interpoſitas offenſiones primus ad cædem deſignatus videretur, alacer tamen legationem ſuſcepit: atque hoſti ferociter inſultanti occurrit. Quid plura? Barbari animum anticipata probitatis opinione commotum, ſic orationis ſuauitate deliniuit; ſic verborum acumine ſauciauit, vt qui mox omnium gentium dominatu potiturus, Catholicis

 inprimis

inprimis ferro flammaque minitaretur, ad Catholici pedes accideret: eius dexteram supplex oscularetur: filios iuberet ad eiusdem pedes prouolui: atque omni feritate & cupiditate deposita, cum Imperatore ipso fœdus iniret. O concitatricis eloquentiæ vim admirabilem ac propè singularem. Tu, tu inquam, vna reperta es inter mortales, quæ furentes Barbarorum impetus in medijs spatijs cohiberes ac frangeres: atque eorum ferocitatem & sæuitiam in mansuetudinem pietatemque conuerteres.

Quintum. *Iam verò fingite vobis, viri optimi, florentissimam Ciuitatem: quæ vel à Tyranno crudelissima prematur seruitute: vel turpissimis cōditionibus ac non sine religionis offensione atque iniuria constituat pacem cum hostibus: vel etiam (si placet) desidia langueat, ac turpi diffluat otio: ad quem obsecro confugiẽdum, quisue accersendus erit qui in tot periculis & calamitatibus nobis consulat: ac patriæ libertatem, Christianæque religionis dignitatem à tot iniurijs vindicet ac tueatur? nemo sanè alius (mihi credite) viri ornatissimi, nisi probus atque disertus Orator. Hic enim est qui hominum natura moribusque*

perspectis:

perſpectis: ac vijs omnibus exploratis quibus illorum mentes aut incitentur, aut reſtinguantur, languentes Ciues ab otio & deſidia ad honeſta vitæ officia reuocabit: turpiſſimam pacem veluti peſtem auertet: religionis tuendæ ſtudium inſeret in auditorum animis: denique eneruatum populum atque iacentem eriget, inflammabitque ad turpiſſimum tyrannidis iugum è ceruicibus excutiendum. Neque verò aliter ſentiendum eſt ſi popularibus tumultibus (id quod accidere ſæpe ſolet) æſtuet Ciuitas; atque inteſtinis diſcordijs & ſeditionibus ad interitum ruat. Sunt enim in publicis eiuſmodi calamitatibus atque periculis non modò Solones, Alcibiades, Valerij, Appij; quod Græcos Romanosque factitaſſe legimus; conuocandi: qui & ſupplicationibus, & lacrymis, & obiurgationibus vrgeant, ac proſpiciant Reip: verùm etiã Demoſthenes, Tullij, Pericles exoptandi, qui fulgurent, tonent, animos denique ſaucient, atque perfringant. Timotheus, is qui muſicæ gloria tantopere floruit apud Græcos; indè commendatur vel maximè, quòd iracundiam contento auſteroque concentu cõcitaret: remiſſo leni-

Sextum, in quo nobile Timothei & Pythagoræ facinus commemoratur.

ret mitigaretque cum vellet. Quamobrem cum Phrygium aliquando caneret apud Alexandrum, eundem dicitur inter cœnandum ad arma concitasse: ac rursus ad conuiuium harmonia remissa reuocasse. Atque hinc etiã Pythagoræ nomen percrebuit: qui cũ in ebriòs quosdam lasciuientes incidisset, iussisse fertur cantorem, qui iam saltationi accommodatum concentum inchoarat, modis mutatis more Dorico canere. ij verò ita dicuntur noua illa ratione cantus ac sonorum resipuisse, vt abiectis coronis, erubescentes sese inde reciperent. Et quisquam erit cui illorum studiũ non probabitur et industria, qui orationis suauitate ac varietate nõ perfundere solùm animos nouerint, sed perfringere: atque ita à turpissimis delitijs otioque ad optimas artes, ab immanitate ad humanitatẽ, à vitijs ad honestatẽ excitare, atque traducere possint? Huc illud etiã accedit quòd populus nõ modò in momentis rationũ officijsque expendendis, vt dicebam, sed in ijsdem etiam, etsi cognitis interdum atque perspectis, obeundis & exequendis tardus est ac segnis. Quinetiam cũ dignitatis atque honestatis aculeos nõ magnifaciat: atque vna fermè

Septimum: in quo describuntur vulgi mores: & ostenditur necessarium esse huic adhibere motus.

vtilitate

vtilitate ac voluptate ducatur; mirum est quàm excors propemodum ac stupidus, nedũ segnis ac tardus appareat in rebus strenuè fortiterque gerendis. Quapropter si vnis rationibus vtaris, vix ac ne vix quidem habeas vnde illius vel socordiæ vel licentiæ moderari possis: aut eundem in magno aliquo Religionis Reipublicæque discrimine impellere & excitare. Accedat itaque noster Orator, qui inflammatis concionibus eius stimulet & incendat animum: qui turbidos eiusdem motus sedet dicendi suauitate: qui denique, prout opportunitas tulerit, timorem illi incutiat, aut in magni alicuius cõmodi vtilitatisque spem adducat. Etenim quemadmodum Orpheus, vt eleganter poëtæ ludunt, mutas animantes, inferorum quoque monstra, vna cantus suauitate deliniuit, & feritate ipsa spoliauit: Amphion verò lapides ipsos ad Thebarum mœnia fabricanda canendo pertraxit: ita fermè populus, hoc est bellua multorum capitum, ac sæpe etiam propter ignauiam lapidi & statuæ potiùs quàm viro similis, nisi orationis aut suauitate, aut impetu commoueri minimè potest. Enimuerò appositè illud vsurpari potest

in hanc

in hanc sententiam, quod Plutarchus eruditissimus author alicubi† scripsit: lupum quidem auribus teneri non posse: populum autem ac vulgus vel maximè auribus ducere oportere. Atque idcirco etiam egregiè cecinit Homerus, magnos Reges, quique Rempublicam ac Populos rectè cuperent gubernare, non solùm Iouem consiliarium, Martemue homicidam, & militarem Mineruam coluisse, verùm etiam Calliopem inuocasse.

† in pr

Ἡ δὴ Βασιλεῦσιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

» *Quæ solet vsque comes venerandis Regi-*
» *bus esse.*

Vt nimirum orationis siue acrimonia, siue suauitate, & (vt semel dicam) facundia ipsa & eloquentia, populorum tum inertiam & tarditatem, tum impetus ac temeritatem superare possent. Quamobrem, pace tua dixerim mi Carole, qui ab Oratoria facultate reijciunt vniuersum hoc dicendi genus quod ad afficiendos animos pertinet: atque Areopagitarum seueritatem sectantes, nudas ratiocinationes Oratoribus relinquunt; ij sanè eloquentiæ quasi neruos mihi videntur incidere: ac totum ferè artis huius pulcherrimæ vsum

natu-

naturamque peruertere. Quinetiam miscendorum animorum artificio affectibusque sublatis actio penè omnis, quam eloquentiæ florem meritò appellaueris, statim concidet & interibit. Siquidem Orator, si ab amplissimo illo florentissimoque ciuilis sciētiæ cāpo reuocetur, vbi omnium mores, ingenia, affectusque peruestigat: atque intra angustos ratiocinationū cancellos, Dialecticorumque dumeta ac spinas concludatur, hæsitet, frigeat, langueat, dicam paucis, inertissimi stipitis instar ante auditorum oculos versetur necesse est. Quo etiam fiet, vt non modò M. Tullius ac Latini Rhetores omnes, sed quos tu Sigoni tanti facis, ac meritò quidē facis; Aristoteles ac Plato grauiter decepti sint, qui propter affectus et mores Rhetoricam ciuilis facultatis germen seu propaginem esse affirmarunt. Quid quòd affectus dum prohibent Rhetores isti tui Carole, vniuersam simul dicendi artem ac facultatem euertunt: nec tamen interim, quæ eorum est stupiditas id sentiunt: aut si sentiūt, eò audaciæ prouecti sunt, vt illos ne pudeat quidem? Sed quì tandem vna cum affectibus totam hanc artem pulcherrimam euertunt?

Octauum.

Nonum: in quo efficitur affectibus sublatis tolli eloquentiam omnem.

 Audi

Audi Sigoni: atque intolerandi istorum erroris patrocinium deserito. Oratoris vis & laus (quod non te fugit) in eo posita est vniuersa, vt se ipsum Orator virum probum ac fide dignum dicendo effingat: vt auditores ratiocinationibus doceat. Denique vt eosdem auditores (quod tamen Rhetores isti vituperant) dicendo impellat. Quocirca si quis viam teneat, atque artem assequatur, qua hæc tria cum laude præstare poßit, is apud Aristotelem cæterosque dicendi magistros Oratoris partes cumulatißimè impleuerit. Assequetur autem hanc artem atque ratione͂, primùm si morum atque virtutum naturam & vim explorauerit: ita enim fiet vt apposite poßit bonos sibi mores dicendo affingere. deinde si differendi rationem teneat ac sedes argumentorum: nam hoc pacto verum docebit auditores, vel id quod veritatis habet speciem. Postremò si humanarum perturbationu͂ vim explorauerit: & qua ratione poßint ad eas auditores impelli. Sic enim facilè flectet auditores, ac traducet quocunque postulat causa. Quocirca, vt dicam breuius, moribus, affectibus, differendi ratione totum Oratoris

coërcetur

coërcetur munus. Atque hinc fluxit elegans illud ac scitum M. Tullij dictum. Erit eloquens qui ita dicet vt probet, vt delectet, vt flectat: probare necessitatis est: delectare suauitatis: flectere victoriæ. Et hac ipsa de causa ex his tribus Oratoris officijs tria constituebat dicendi genera quibus tota eloquentia continetur: subtile in probando: modicum in delectando; vehemens in flectendo: atque ad extremum concludebat summæ facultatis atque virtutis esse debere illum qui tripartitam hanc varietatem coniungere & quasi temperare posset: ac propterea etiam (vt hoc vnum addam) eo maximè nomine celebrauit M. Callidium, quòd rem totam mirificè illustraret differendo: audientium quoque animos demulceret voluptate: in eo improbauit, quòd tertia laus abesset, qua eosdem permoueret & incitaret. Quæ cum ita sint, iam si motus tollendi sunt: si affectus prohibendi; atque arcendæ motiones animorum, qui obsecro non statim etiam ruet prior illa eloquẽtiæ pars? cur enim in ea Oratorem effingunt virum probum, integerrimum, suauibus moribus præditum, auditorumque peramantem, nisi vt auditores ei

fidant atque in amore respondeant? curue iubent vt eos delectet, ac mulceat voluptate, nisi ut animos sibi conciliet, ac beneuolos reddat? id verò quid aliud est obsecro, nisi auditores in spem adducere: ad beneuolentiam, amoremque excitare: eorundem captare gratiam: animos ipsos flectere, delinire, capere? Denique (si Aristoteli, ac M. Tullio credimus) ijsdem se ipsum afficit Orator ac quos res ipsa postulat sibi affingit mores, quibus et alios permouere atque afficere solet: ac propterea si motus atque affectus tollendi sunt, ruet quoque, vt dicebam, prima illa eloquentiæ pars. Nec tamen interim stabit secunda quæ docendi munus obtinet, ac ratiocinationibus fidem facit: etenim (vt ijdem dicendi magistri præcipiunt) hæc Dialecticorum facultate continetur: at Dialectici facultas et vis ea est cuius vsu iniustitiam fermè tueri licet non minus quàm æquitatem: malum suadere perinde ferè ac bonum: ad turpitudinem cohortari non secus atque ad honestatem: est enim Dialectica in contrarias partes accommodata: atque in contrarias partes differens colligit contraria. Quod cum ita sit, iam cum conciliatrix

animorum facultas ideo ab istis reijciatur, quòd in malam partem (ad Iudices nimirum onerandos & occupandos) & vsurpari posit, & à multis vsurpari soleat; cur non eodem planè iure tolletur Dialecticæ studium quæ ad contraria peræquè aditum habet? quòd si tollatur Dialecticæ studiũ statim altera illa eloquentiæ pars quæ Dialecticæ & comparatur & continetur (ideo enim Rhetoricæ perinde ac Dialecticæ id inesse propriũ, vt contrarias in partes differat, Rhetores fatentur omnes) concidet & euanescet. De medio itaque tollunt egregij isti Rhetores eloquentiã vniuersam: & quam profitentur artẽ, euertunt funditus ac delent. Age uerò Christianum Oratorẽ paulisper intueamur, qui nõ de aruspicum responsis, aut nescio qua corona disceptat; hoc est de caducis rebus ac superstitionũ plenis: non Phrynem aut Cœlium impudicos homines defendit: non mimos, non nautas tuetur aut publicanos: sed Sãctissimos diuinæ legis celebrat nuncios: fortissimos Christi athletas nobis ad imitandum proponit: de pietate, de fide, de religione verba facit, quæ in omnẽ respiciunt æternitatẽ. Ergo de auita Religione retinenda disputet

Decimum: in quo demonstratur quàm intersit Christianæ Reip. retineri permotiones animorum.

Christia-

Christianus Orator: contendat impios atque nefarios frangere hæreticorum conatus: & quàm indies magis ac magis in Christi Ecclesiam exercent crudelitatem, reprimere. An igitur interdicetur illi uiolatas Virgines euersasque aras ac templa expostulare: pias imagines, sed quid dico imagines? immo sanctissimorum Virorum reliquias, augustissimaque Christianæ militiæ vexilla igne ferroque deuastata, deplorare: ac tot tantasque calamitates, quibus Dei grex propter truculentam hæreticorum rabiem premitur, sine quærimonijs iubebitur lacrymisque narrare? Nam quàm gloriosum sit eos dicendo confirmare posse, atque ad fidei constantiam incendere, qui inter tortorum machinas fluctuant, qui tyrannos, qui carnifices perhorrescunt, atque immortalitatis aditum sibi præcludunt, nemo est qui non videat. Quid multa? Humani generis liberator ac vindex Christus ingenti sanguinis effusione egit causam nostram: & tamen erit qui nos Christi causam vetet lacrymis interdum precibusque peragere? vulnerum cicatrices in immortali corpore expressas gestare voluit ille, vt quà humanam naturam refert,

iratum nobis propitiaret diuinum Numen: Dei verò internuncius arguetur Orator, qui suauissima vulnerum illorum commemoratione, ac veluti demõstratione, nos ad salutares gemitus ac suspiria prouocare contendat? O Terram illam ingratam quæ diuinum hũc Oratorem spreuerit: perditam omnino ac miseram si eiecerit: fœlicem quæ exceperit. Sed iam nescio quo pacto illud vnum prætermiseram quod aduersariorum causam omnino prosternit & penè iugulat: ac tunc planè mihi in mentem venerat, cum tu Carole (quod sanè hoc tempore à te nullo modo expectabam) perorares. Etenim quemadmodum sic perorasti, vt M. Antonio (nec fortasse sentiens) blandiri, eiusdemque gratiam ac beneuolentiam aucupari non obscurè visus sis: ita etiam, si quis accuratè secum ipse reputet rem vniuersam, intelliget profectò sua sponte quodammodo ac naturaliter fluere animi motus: sæpissimeque cum oratione ita esse coniunctos, vt vel inuitis nobis erumpant. Quamobrem, vt rem omnem illustremus exemplo, agant legati cum Henrico Galliarum Rege qui non ita pridem in Caroli fratris locum suffectus est, de fœdere cum

Vndecimũ, quo ostenditur motus naturaliter fluere: idque interdum nobis etiam inuitis.

Illustratur res exemplo non vulgari.

Auriacis

Elisabetha Angliæ Regina ineundo: ac rem magna eloquentiæ vi, regijs etiam pollicitationibus vrgeant. iubeat proinde Henricus re inter consiliarios diligenter communicata, grauißimum Senatorem Consilij sententiam exponere: ac publicè etiam ad Populum ea de re referre. Regius porrò Senator atque Orator si auitæ Gallorum pietatis ac dignitatis memor, huiusmodi fœdus Regia maiestate indignũ iudicetur, Christianæque Reip. perniciosum, ac propterea dissuadẽdũ sit, exponere inter cætera cogetur Angliæ Reginam maiorum suorum fide prodita, ab Ecclesiæ sinu, atque adeò à Christo desciuisse: insanaque Caluini hæresi fœdatã, immo multorum hæreticorum colluuione ac fœce obrutã, turpißimè libidini seruire: atque in omni propemodum vitiorum cœno volutari. Quinetiam commemorare necesse erit euersas Christi arás, incensá templa, impias leges in Catholicos latas; carceres ijsdem Catholicis refertos, diuina humanaque iura violata. Sed & carnifices, equuleos, tortores, proscriptiones, prædones quoque ac latrocinia. quibus Oceanum infestat: seditiones ac proditiones quas longè lateque fouet vndique:

carni-

carnificinasque inprimis, & inauditam sæuitiam proponat oportet, vt fœderis indignitas pateat. Quod si hæc à diserto pioque Oratore tractentur, quis tandem ita Barbarus ac ferus, aut etiam (vt cum Poëta loquar)

Myrmidonum Dolopumue, aut duri ,,
miles Vlyßi, ,,

audire hæc poterit, qui si non magnam profundat vim lacrymarum, at certè intimis sensibus non commoueatur, atque inauditam perhorrescat crudelitatem? Ego sanè sic in præsentia afficior dum hæc commemorare cogor, vt præ dolore vix ac ne vix quidem (quod optimè vides mi Carole) cohibere lacrymas poßim: spiritumque ipsum mihi intercludi sentiam ac vocem. Hæc cũ diceret pius ille senex, iamque præ lacrymis satis loqui non posset, tantisper substitit, dum sese colligeret, ac respiraret. Cum verò pias, atque æquißimi doloris indices lacrymas cohibuisset ille: ac nos etiam quos interim doloris sui comites socios que haberet, paululum exhilaratos animaduerteret: Cum hæc igitur (inquit pergẽs) sic se habeãt viri optimi, nemo, vt opinor, inficiabitur vnquam, misericordiam, iram, la-

crymas ipſas nulla ratione euocatas dicentibus ſæpe occurrere: ac motus vſque adeò interdum cum ratiocinationibus eſſe coniunctos, vt ne cogitantibus quidem nobis immo etiam inuitis aliquando erumpant. vt propterea etiam iure optimo protulerit illud Euripides.

Οἱ χρὰ γὰρ δυστυχῆ
Βροτοῖς ἅπασι κἂν θυραῖος ὢν κυρῇ.

REFELLVNTVR prioris ſententiæ argumenta: ac de ijs in quorũ authoritate nitebantur, diſputantur multa.

SED ne videar exēpla illa tua, atque argumenta vniuerſa eminus, aut veluti per transennam refellere, ad ea ſigillatim reſpondebo. Etſi enim quæ hactenus diſputaui, non minus fortaſſe valent ad tua argumenta diluenda ac refellenda omnia, quàm ad meam ſententiã tuendam & confirmandam: veruntamen ne in tanta cauſæ bonitate conturbari videar flumine illo exēplorum, in quibus tua exultauit oratio: non grauabor ad ſingula, quamuis non eo fortaſſe, quo à te propoſita ſunt ordine, reſpondere. Quod vbi effecero finem quoque dicendi faciam. Ac primum taceant tui iſti Areopagitæ Sigoni. neque enim vt ſunt illi factum ſiue purgarent ſiue corrigerent, qui Phrynis impudicæ fœminæ pulchritudini nimium tribuiſſent; in affectus ac motus exar-

De Areopagitis.

 deſcere

descere debuissent: sed malum eorum vsum atque Oratoris improbitatem, suam etiam leuitatem reprehendere. Alioquin (vt praclarè 1. Rhet. in Isoc. Nicocle. *non dißimili in re disserebat † Aristoteles) diuitiæ quoque, robur, valetudo, amici, rei militaris scientia, omnia denique bona illa, quibus homo per improbitatem abuti potest, reijcienda essent, atque damnanda. Ergo Hiperides à iudicijs arcendus, ac malè etiam multandus erat, qui contaminatam, quæque libidinem spiraret, mulierem impudenter in curiam non introducens solum, sed à pectore denudans, ac visendam obijciens patribus illis; & loci authoritatem, et iudicum grauitatem, & Oratoris synceritatem ac fidem violasset: non affectus prohibendi, non motus, non epilogi, non proœmia quibus optimè vti & potest et* Vide Gorg. *debet Orator. Quare acutiùs † Plato noster:* De Platone. *qui sanè non omnem huiusce facultatis vsum damnat, sed adulterinum atque præposterum; quemque plerique ea tempestate non ad iustitiam referrēt, ac patriæ commoda propugnanda: sed libidini cupiditatibusque explendis adhiberent. Atque hoc nomine tum Cimonē, Periclem, atque alios eiusmodi turbulentos*

Oratores ac ciues accuſauit: tum Gorgianum Oratorem qui veritatem ac rerum iuſtarum & iniuſtarum notitiam negligeret, ſolasque rerum ſectaretur vmbras, exagitauit: & cum voluptario ac ſumptuoſo coquo, ac tyranno etiam, & malo auriga contulit: tum præſtigiarum artifices, maleficos, adulatores appellauit eos Oratores qui tale ſectarentur dicendi genus. Neque verò dicendum eſt malè apud Platonem audiſſe Oratores omnes qui dicendo animos perturbarent, quòd ob immoderatas poëſis voluptates profuſosque motus poëtas è ſua Repub. eieciſſet: varius eſt enim vtriuſque vſus, diſparque conditio: denique magna inter eos diſsimilitudo atque varietas. Quare è ſua Rep. Poëtam eieciſſe † inuenies: Oratorem nunquam inuenies. Quanquam non me latet pulcherrimas haſce de Platonico Oratore, ac Poëta controuerſias, quarũ illas in Gorgia, has in Politia excitauit, lõgiorem poſtulare diſputationem. ſed temporis habẽda eſt ratio. quare hæc ſatis eſſe velim in præſentia, ſi tamen vnum addidero, quod rem maximè cõtinet. Etenim Plato in funebri oratione illa † quam ob incredibilem eloquentiæ vim Athe- †de (De Platon.) † in

Cic. in Bruto. *niensis populus quotannis † iussit recitari, mirum est quàm vehemens sit in populi animis concitandis. Nã hac quoque de causa eos qui pro patria fortiter dimicantes ceciderant, veluti ab inferis excitare: iisdéque vocẽ, sensus, consilium, orationẽ denique qua viuẽtes compellarent, atque ad patriam tuendam inflammarent, affingere non dubitauit. hæc enim omnia ad permouendos animos esse † comparata,*

Vide Quint. l. 6. cap. 1. *vestrũ ignorat nemo. Vt queãdmodũ in Oratoribus ipsis eludẽdis (vt est † apud M. Tulliũ)*

lib. 1. de Orat. *excellens Orator apparuit: ita etiã qui grauissimè ac copiosissimè incitãdi studiũ visus fuerat insectari (quanquã quo consilio, iam antea exposui) hoc idẽ studium acerrimè amplexus, pro eodẽ quoque retinendo decertare visus sit.*

De Socrate. *Nũc venio ad Socratem. Etsi enim pro ea quæ Platoni cum Socrate necessitudo intercessit ac morũ decretorumque coniunctio, qui Platonis sensum explorarit ergà Oratores, is et Socratis sententiã explorauerit: vnum tamen, atque alterũ breuissimè cõmemorabo de Socrate. Ac primũ quidẽ illud esto: affectibus nõ carere Socratis Apologiã: Etenim siue natura, siue certè arte inprimis id acciderit, ad cõmiserationẽ*

excitandam vsque adeò instructa est, vt pauci eam legere valeant sine lacrymis. quinetiam ijs ipsis quibus sibi à supplicationibus ac precibus abstinendũ esse docet; mirificè ad miseratione͂ allicit animos: at quibus permoueri affectus vetat, ijsdem illos concitat vehementer. Quod si reuera supplicationes ipsas ac preces, filios itẽ parentis orbitatem deplorantes noluit ad orationem adhibere; quæ tamen omnia nos honesta in causa cum dignitate retineri posse affirmamus, id sanè quid profuerit integerrimo illi seni declarauit euentus. Nam in Socrate eximium constantiæ exemplum habuimus sanè: cætera, vt iniustitia plena sunt & parricidio, non sine turpitudine ac iustitiæ offensione gesta sunt. Hoc primum. Alterum pertinet ad Lysiæ oratione͂, quam, quòd virilis non esset, † reiecit Socrates. Nam si lenocinijs scatebat: & ad motus ciendos sic composita erat, vt dicẽtis grauitatem, locique authoritatem dedecoraret: denique à decoro longissimè abesset (talem verò fuisse indicat id quod de Sicyonijs calceis commemorat) non malè quidem Socrates: siquidem non negarim prouidendum esse diligenter quid dicenti

† E. l. 1. ante

conue-

conueniat: quid audientibus: quid locus, quid tempus postulet: quid causa requirat conditio, denique modus ac ratio adhibenda est rebus omnibus. quòd si ea tantum de causa reiecta fuit à Socrate, quòd ad animos flectendos, tametsi non sine dignitate flectendos, scripta esset: aut etiam non tanta esset dignitas, vt omnes planè grauitatis ac decori partes impleret, malim equidem vt studiosus patriæ Orator eiusmodi factũ admiretur quàm imitetur: neque enim tam quærimus quid grauissimus Philosophus ac senex fecerit: quidue semel magna cum omnium admiratione reo acciderit: quàm quid passim non malum Oratorem deceat ac parabilem. Atque hoc ipsum dictum velim Sigoni de Rutilio illo tuo: quem tu Latinum Socratem facere non dubitasti, quòd enim respuerit effœminatum & turpe dicendi genus, ac veritatem spectari iusserit, vehementer laudo. at simplicem apparere voluisse huiusmodi veritatem, non ornatam, non supplicationibus vllis precibusque admistam, aut ad affectus vllos ciendos comparatam; id verò, in capitali præsertim causa & honesta, non probarim. neque enim ornatam oratio- De Rutilio.

nem,

nem, quæque affectus cum dignitate excitet, aut opportunas preces, moderatas etiam lacrymas contineat; quibus scilicet Naturæ satisfacimus; effœminatam appello: sed quæ calamistrata incedat: lasciuiat flosculis: in qua eiulatus, & immoderati gemitus audiantur: quæ denique sine vlla controuersia grauitatis, moderationis, decorique ipsius fines transiliat. Quamobrem idem M. Tullius qui P. Rutilij constantiam hac in re (vt tu quidem interpretaris) extulisse visus est; reuera eundem nimiæ seueritatis culpa dolet amissum: ideo enim M. Antonium sic facit ‡ disserentem.

›› *Quod si tu Rutilij causam Crasse dixisses, qui*
›› *subsidium Oratori ex illis disputationibus, qui-*
›› *bus Philosophi vtuntur; ad dicendi copiam*
›› *petendum esse paulò ante dicebas; quamuis*
›› *scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt, pestiferi*
›› *ciues supplicioque digni: tamen omnem eorum*
›› *importunitatem ex intimis mentibus euellisset*
›› *vis orationis tuæ. Nunc talis vir amissus est*
›› *dum causa ita dicitur, vt si in illa comentitia*
›› *Platonis ciuitate res ageretur: nemo ingemuit:*
›› *nemo Rempub. implorauit: nemo supplicauit.*
›› *quid multa? pedē nemo in illo iudicio supplosit.*

‡ In ... orat ... fine.

credo

credo ne Stoicis renunciaretur. Sic (nisi me fefellit memoria) noster Cicero. Atque hæc de vno & altero Socrate. Quæ etiã quoniã optimè in orationẽ conueniunt Crassi, quã velut intẽperantẽ & quasi lymphatã reprehendebat M. Antonius, M. Antonio etiã satis esse possunt. cũ præsertim non suo (sibi enim fatetur dignitatis plenas ac diuinas quodammodo visas esse illas voces) sed Rutilij qui se Stoicũ profiteretur, nomine ac verbis illũ notet intemperantiæ & leuitatis. Nã de C. Cæsare nihil dicã. is enim reuera nõ opportunos motus reprehendit, quos prudens Orator cũ dignitate atque honesta in causa excitet: præsertim verò vbi auditorum siue improbitati, siue ignauiæ & tarditati prospiciendũ sit: sed priuatũ iudicis odiũ, ac veteres anticipatasque affectiones damnat & cupiditates, quibus quominus verũ prouideat impeditur. Commouerer magis grauissimis Appij totiusque Claudiæ familiæ exemplis, nisi me laudatissima aliorũ multorum exẽpla, ac ratio inprimis ipsa retardaret. Cur enim si vereamur ne aut ciuis optimus opprimatur, aut Resp. magno aliquo incommodo afficiatur, aut etiã amicorum ac propinquiorum fortunæ ac di-

De M. Antonio & C. Cæsare.

De Appio & Claudiorum familia.

gnitas propter iudicis auditorumque improbitatem periclitentur, vestem quoque mutare, ac Tyranno iudicique supplicem esse non licebit? certè cũ sæpè aliàs Romanorũ charitas enituit in patriam, tum maximè cum patria liberatore M. Tullio grauiter periclitante, innumera propè ciuium multitudo supplex ac mutata veste† conspecta est. Denique, si rectè recolas, hæc quæ de Rutilio alijsque diximus, Areopagitæ illi tuo (Catoni inquam) sic conueniunt dum perturbatricem illam animorum orationem exprobraret Galbæ, vt superuacaneum sit quicquam addere. cum præsertim alter Cato (vt minorem maiori, ac Stoicum Stoico opponamus) non dubitarit aliquando in rostris ipsis, relictis rationibus causam totam conuicijs† obiurgationibusque peragere, ac vehemẽti percitus irâ Senatores ipsos asperiùs reprehendere. Quanquam mallem vt rationibus ac moderatis motibus orationem temperasset, quàm summæ illius grauitatis, atque constantiæ oblitus, suis ille Stoicis plus satis quàm par erat, renunciasset. Quid quod neque M. ille Antonius, cuius tu memoriam suauissimam Romanis ciuibus in M. Antonio

nostro

nostrò renouatam non minùs sapienter, quàm acutè gratulabaris, reuera nusquam vetuit flecti auditores & perturbari, vt in extrema oratione tuo quasi iure sumpsisti? Nam oppugnauit quidem Craßi sententiam, qui statuerat neminem posse eorum mentes qui audiret, aut inflectere dicendo, aut inflammatas restinguere, nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum, atque rationes perspexisset, ac philosophiam omnino percepisset. Sed mentes non esse permouendas (quod ego planè obseruarim) pronunciauit nunquam. Quinetiam cū affirmaret satis eße ea de moribus hominum & scire & dicere, quæ ab hominum moribus communique consuetudine non abhorrent: satisque poße populari eiusmodi cognitione per animos hominum peragrare, ac sensus mentesque auditorum pertractare; mihi quidem hac in re vix ac ne vix quidem videtur Antonius quicquam à Crasso dissentire. Quapropter non modo L. Crassus, quem in hoc dicendi genere excelluiße compertum est, sed & M. Antonius (vnde optimum sanè fœlicißimumque omen accipio) mihi mirificè fauet: tantum abest vt refragetur. Iam verò

De Carneade.

de Carneade quem ferunt procemia & epilogos irridere consueuisse, non mihi magnopere laborandum censeo: malo enim cum Platone, Demosthene, ac M. Tullio; hoc est Græcæ ac Romanæ eloquentiæ parentibus, summisque dicendi magistris errare, quàm cũ Carneade rectè sentire. Quanquam cum ridiculum hoc decretum non rationibus sed irrisionibus suadere niteretur Carneades; quàm rectè fecerit, aliorum sit iudicium: nos certè non risu sed argumentis, iisque (vt opinor) nõ infirmis, sed exploratis atque perspicuis, confirmauimus nostram opinionẽ. Nam quod ipse coniectas ne dicã vaticinaris, existimasse Carneadẽ Oratori nõn mimũ agendũ neque eloquentiã in versatilis cothurni loco habendã: intellexisse quoque Veritatis speciẽ esse simplicẽ, Gratias nudas, denique non conuiciis tanquã de plaustro, aut blãditiis assentatorũ more agendũ, sed rationũ momentis & candidè disserendum esse; hæc verò quàm aptè in Carneadẽ cadant, Cato ille tuus declarauit: qui cũ Carneadẽ pro iustitia primùm, tũ pro iniustitia summis eloquẽtiæ viribus disserentẽ audisset, ab illius eloquẽtia cauẽdũ, immò illũ veluti bilinguẽ dimittendũ esse significauit. sed quoniam is erat Carneades qui

fre-

Bibe rum ...as. † *frequenti ellebori purgatione indigeret, iuuat*
cum illo paucissimis agere. cũ præsertim nõ mo-
† *dò Demosthenes (vt dicebã) Cicero, & cum ijs*
Plato, sed Aristoteles ipse sentẽtia meæ faueat:
sicque faueat, vt Gorgiam tanquam indoctum
.Rhe. *pugilem hac vna de causa reprehendat † quòd*
procemium aliquando prætermisisset. Sed quo-
niã Aristotelis mentionẽ fecimus, ad ea sese cõ
uertat oratio, quibus (vt tu quidẽ disserebas) no
bilis iste ac primarius dicẽdi artifex iandiu ex
plosisse visus est sentẽtiã nostrã. Et sanè non ego
inficior Aristotelẽ † valde cõmotũ videri, quòd
.Rhe. iii. *animaduertisset reliquos Rhetores rationibus*
spretis, quæ (vt ipse scribit) sunt corpus fidei fa
ciẽdæ, totos fuisse in affectibus permiscẽdis. fa-
.Rhe. *teor etiã affectus modò* τὰς προσθήκας † *siue addita-*
mẽta, modò πάρεργα, *aut etiam* ἔξω τοῦ πράγματος, *su-*
peruacanea & à re aliena, ab eo censeri & ap
pellari. non negarim etiã hac ipsa de causa cũ
alias Resp. quasdã in vniuersum, tũ sigillatim
Areopagitarũ Senatũ laudasse, qui perturba
tiones cõcitare, atque extra causã dicere suo il
lo ΑΝΕΥ ΠΡΟΟΙΜΙΩΝ ΚΑΙ ΠΑΘΩΝ *per præconẽ prohi-*
berẽt. sat quoque scio Rhetores illos repreben-
disse, quòd deliberatiuo genere relicto, sese ad
vnum iudiciale non alia de causa conuertis-
sent

De Aristotele, cuius opinio explicatur fusè.

ſent, niſi quia in hoc liceret vagari longiùs: atque in iudicibus afficiendis verſari totos. nec me latet de elocutione tandem † dicturum † lib. *nobis in memoriam reuocaſſe æquum videri, vt ijs, qui audiunt nec lætitiam nec moleſtiam afferamus, cum ipſis tantùm rebus certandũ ſit in iudicio: cætera ſint ſuperuacanea. denique animaduerti hac ipſa de cauſa duas feciſſe orationis partes; propoſitionem quæ narrationi reſpondet: & confirmationem, cui ſubiecta eſt refutatio. procœmium verò & epilogum quibus maximè continentur affectus, inter illius partes non retuliſſe. Hæc inquam de Ariſtotele mihi quoque perſpecta ſunt. Veruntamen illud interim de te quæro mi Sigoni, quo pacto affectus ſint ſiue* πάρεργα, *ſiue* ἔξω τοῦ πράγματος, *cum ab eodem Ariſtotele † dicantur* τέχνης μόριον, *artis particula? ſi enim ſunt artis particula, ad artem pertineant neceſſe eſt. qua ratione; cum reliquos Rhetores dicat paruam tantùm artis partem conſcripſiſſe: atque eoſdem rurſus reprehendat quòd vnos affectus ſint perſequuti; affectus rurſus ad artem ſine vlla dubitatione pertinebunt. Deinde cur quæſo ſimul ac priſcos Rhetores reprehendit, ac procœ* † lib.

mio

mio finem fecit; tam disertè prædicare cœpit tribus partibus benè dicendi artem conflatam esse: disserendi ratione qua auditores docet Orator: moribus, quibus eorum animos sibi conciliat: affectibus, quibus iidem flectuntur, & concitantur? cur deinde tripartitum hoc Oratoris munus vsque adeò fixum ac ratum habuit, vt quicquid ab ipso tractationis initio ad finem vsque disseruit, ad tripartitum hoc munus retulerit? inprimis verò quid est quod sibi sigillatim, vbi hominum mores affectusque Rhet. *ipsos † aggredi institueret, tam perspicuis verbis nos admonebat; necessarium esse vt Orator non illud tantummodo spectet atque prouideat vt oratio probandi vim habeat; verùm etiam vt rationem teneat quâ seipsum, ac iudicem afficere possit? Ad hæc cur de prœmio etiam atque epilogo non agit solùm, atque ac-* 3. *curatè † agit; sed etiam illud initium appellat & partem, eamque primam; hunc postremam ac finem? quin hanc ipsam ob causam & quatuor rursus orationis constituit partes: & prœmij non aperit commoda solùm, atque inde plurimùm dignitatis, & vtilitatis emanare ostendit, verùm etiam vt de eiusdem ne-*

cessi-

cessitate constet, eos notat tanquam indoctos ac rudes, qui subitò (id quod in Gorgiæ laudatione quadam arguisse dicebam) ac sine animorum præparatione orationem effutiunt. quò in loco mirum est quàm egregiè quãtaque exemplorum varietate ostendat huius officij prætermissione orationem veluti inconditam reddi & abruptam: oratoresque ipsos imperitis athletis esse persimiles, qui minimè accuratè, ac sine vlla bracchiorum ostentatione & venustate ad certamen descendunt. Sed quid multis opus est? siquidem cum nos tandẽ admoneret, motus in oratione auditorum vitio & culpa, ac propter deprauatos hominum mores non esse prætermittendos, non aliud profectò spectauit, nisi vt hoc ipsum quod nos hactenus efficere conati sumus, ostenderet ac testaretur. Intelligebat enim sapientissimus Philosophus ac Rhetor auditores non rarò ignaros esse ac rudes: interdum largitionibus corruptos aut gratia: inuidos aliquando, aut odio etiam & ira tanquam tempestate iactatos: maleque erga nos affectos, & animatos. sentiebat etiam populum quicum sæpe agendum est Oratori, non modò ignarum esse (vt dicebã)

sed

ſed vbi ſola honeſtas obijciatur ac dignitas, deſidem ac tardum: contra verò cum impura voluptas ſe obijciat & vtilitas, incitatum atque furentem. ita vt ibi concitandus ſit vi orationis, hic reprimendus. quin videbat Tyrannos nonnunquam, ac non bonum Reipub. moderatorem oratione appetendum: qui cum omnia propria vtilitate metiri ſoleant, atque iræ inprimis cupiditatibusque indulgere, non rationum momentis (ſpernunt enim illa) ſed flexanima ad lenitatem atque clementiam reuocandi ſunt. denique animaduertebat ſæpiſſimè eos eſſe auditores ac Iudices, de quorum animo & integritate nihil certi habeamus: ita vt nullum planè officij genus prætermittendum ſit. præſertim verò vbi non Samnis ſpurcus homo defendatur: aut leuis aliqua agatur cauſa, ſed nobilis inprimis & grauis. Id quod eò magis præſtandum eſt, quòd tanta eſt interdum cauſæ obſcuritas, tanta iudiciorum ſententiarumque varietas, tanta aduerſariorum ſiue opinio & authoritas, ſiue dicendi vis atque facultas; vt neque apud aequiſſimum integerrimumque Iudicem tuti eſſe poſſimus. Hæc Iudicum au-

ditorumque vitia, quibus porrò animorum permotionibus occurrendum ac prospiciendum esse voluit magnus hic dicendi & intelligendi author atque Magister. quæ sanè vitia (si quis rectè æstimet) tam latè manant, nulla vt controuersia agitari posse videatur quæ eorum sit penitus expers. At enim ab optimè institutis ciuitatibus non modò extra rē dicere, quod est affectus commouere, prohibiti sunt Oratores, sed etiam expulsi: id quod Lacedæmones præ cæteris factitarunt. Expulerunt, fateor: neque solùm Rhetores sed & Philosophos. Qua in re inuitus dicam quod sentio: sed dicam tamen. Ego enim Lacedæmones qui ea de causa Philosophos ac Rhetores excedere iusserunt, quòd in armis Reip. firmamentum collocassent: censerentque Rhetorum Philosophorumque studijs ab armis ad otium auocari adolescentes, cur laudari patiar, non habeo. Sunt enim ciuilia studia publicaque exercitationes ad moderatum imperium honestumque otium reuocanda potiùs, quàm ad bellum non necessarium, atque ad nationes exteras subigendas. Quare factum istud (si te quicquam hac in re permouet, Carole) Lacedæmonum au-

De ijs, qui Rhetores expulerunt, atque de huius facti turpitudine.

thori-

thoritas) cum non dissimilibus eorundem factis moribusque coniungas licet. Neque enim te præterit Lacedæmones & publicè mulieres nudas exerceri† voluisse: & occultè furari laudabile existimasse: & (quod mirificè sententiam confirmat meam) solo metu Remp. administrandam, vnoque armorum studio fulciendam† putasse. qua in re ab optima Reip. administratione abfuisse longiùs ne tu quidem (opinor) inficiaberis Carole: si quidem aureum illud Platonis dictum non te fugit, Διὰ τὸ ἀρέσκειν, τὸ πράττειν ἐστίν. ἡ δ' αὐθάδεια, ἐρημίᾳ ξύνοικος.† *Comitas & gratia ad res gerendas plurimùm valet. austeritas contra amicorum parit solitudinem. ac multò minùs Cyri illud morientis ignoras,* Οὐ τὸ χρυσοῦν σκῆπτρόν ἐστι τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζον, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον.† *Non aureũ sceptrũ sed amici multi Regnũ seruant. hi enim sũt Regibus sceptrũ germanissimũ atque tutissimum. Denique metus, nisi præmia addantur & honesta gloria: arma, nisi liberales disciplinæ retineantur ac doctrinarum studia; imperium breui euertere solent: tantum abest vt illi afferant diuturnitatem. metui enim inuidiosum est, detestabile, imbecillum, caducũ.*

Id quod in Tragicis quoque fabulis quæ urbium excidijs Regnorumque ruinis refertæ sunt, egregiè videmus expressum: atque in Atreo præcipuè; qui cum hoc ipsum

Oderint dum metuant,

in Regni administratione vsurpare soleret, Regno ipso spoliatus est: Non tam igitur armis quàm charitate & beneuolentia Ciuium septum esse oportet. Quamobrem Timoris templum quod ijdem † Lacedæmones apud forum excitantes ciuilis firmamenti Symbolum esse voluerunt, sapientiùs (mea quidem sententia) æquassent solo si extitisset; quàm excitarint. Hæc ad Lacedæmones. Quæ egregijs illis censoribus Gn. Domitio Aenobarbo ac Lucio Licinio Crasso "(si tamen de Crasso, qui summam authoritatem ac laudem sibi in Rep. comparasset nobili illo dicendi genere, id credi potest) Romanisque etiam satis esse velim. dum enim ipsi quoque veriti ne adolescentes ab armorum studijs auocarentur; Rhetores atque Philosophos ab Vrbe exulare † iusserunt, reuera præterquam quod non tam concitationes animorum quàm doctrinarũ studia remouere conati sũt;

non

non honestæ pacis (hæc enim quemadmodũ bello anteponenda est: ita liberabilibus artibus alitur atque doctrinis) rationem habuisse visi sunt, sed fallacem quandam gloriam quam in potentia imperijque magnitudine ponerent, cõsectari. Meliùs itaque atque honestiùs posteri: qui et Rhetores peramanter in Vrbe receperũt, & pulcherrimam illorum artem reliquo tempore diligẽter magnaque cum laude coluerũt. Quocirca cum satis constet florentissimas Romanorum Atheniensiumque Resp. mirificè (si tamen tenebricosum illud taciturnumque Areopagitarum iudicium exceperis: ac breuissima illa exactorum ab Vrbe Rhetorum tempora) fuisse amplexos illud dicendi genus: deinde verò Rhodios etiam atque Corinthios; sed quid Rhodios aut Corinthios memoro, cum semel è Piraeo cum eloquentia ipsa euectum, omnes Insulas peragrarit, atque Asia tota floruerit? immo florentes quasque Ciuitates ac nobiles idem fecisse: multas quoque Resp. ac varias gentes, præsertim Venetam Genuẽsemquè Rempublicã, Mediolanensem Senatum, ac Gallos omnes hoc tempore idem non sine laude facere; non satis video quo pacto

no-

De Philosophis, quorum præcipuis animorum motus probari ostenditur: reliqui eludũtur ridiculis.

nobiliores clarioresque Resp. illud reiecerint atque repudiarint. Nunc Philosophi vni supersunt, si rectè memini: quos veritate (vt opinor) compulsos, passos esse tandem ab Oratore animos (etsi leniter) flecti ac permisceri Cicero † testis est. Quanquam cum Philosophorum † Principes Plato & Aristoteles à nobis non dissentiant: ex cæteris verò non pauci fuerint qui dicendi quoque facultatem amplexi, hãc ipsam orationis partem diligenter coluerint quæ in agitandis animis sita est, vix satis video qui tandem Philosophi meæ sententiæ refragentur. Quid? cum ex cæteris illis Philosophis non deessent qui Deum crederent non corpus habere, sed quasi corpus; non sanguinem, sed quasi sanguinem: innumerabiles præterea Mũdos introducerent, atque hos minimis temporum punctis alios nascentes, cadentes alios, ex indiuiduis conflarent corpusculis: nouum quoque terræ orbem, quem in Luna orbe collocabant, somniarent: quin affirmarent & niuem esse nigram, & Solem igneum lapidem: Cœlũ immobile & fixum, terram perpetuis lationibus in orbem ferri: Deumque rursus numerũ & harmoniam, iusiurandum trigonum, qua-

tuor

tuor verò decem: dolia præterea pro domicilijs haberent: fabarum esu tanquam scelere grauißimo interdicerent: ac modò sese Euphorbum facerent, modò gallum: sed & suas illas disputationes de ouo & gallina, deque musca inprimis, arctè tenerent, atque accuratè persequerentur: oculos sibi ipsi eruerent inter philosophandum, aut se in Aethnæ flammas præcipites darent; denique (ne innumeras illorum ineptias, seu potiùs Gorgones Chimerasque consecter: atque ex fumo in flammã conijciar) perpetuò flerent alij, alij semper riderent; quis miretur si in re ab eorum munere aliena tantopere aberrarint, vt negarint impellẽdos esse animos & permouendos? Sed ne tu obsecro risum interim Murete edas. videre enim mihi videor Sigonium rem indignè ferentem. nisi tamen mihi potiùs indignatur quòd egregia ista Philosophorum mysteria edicere ausim & promulgare. Ad hæc Sigonius. Longiùs tu quidem aberras Stati: atque augur minimè bonus, ne dicam coniector alienißimus, factus es. neque enim illud indignè ferebã, quod de Philosophis istis recensebas (quanquam quàm simpliciter & candidè id feceris, &

quàm

quàm oppurtunè, videat Muretus) ſed quia grauiſsimam Stoicorum authoritatem quibus nihil moderatione ac virtute fuit antiquius, callidè declinaſti. Hi enim maximè ſunt qui tuas iſtas animorum affectiones, ſeu potiùs ægritudines ac morbos tantopere reprehendũt ac damnant: ac boni viri animum omnibus perturbationibus vacuum eſſe iubent. Tum Statius ſubridens, amicè, inquit, feciſti optime Carole, qui mihi Stoicorum ἀπάθειαν (quãquam ἐκ αἰδῶ τῆς ἀπαθείας) in memoriam reuocaſti. Enimuero reprehendunt iſti, fateor, ac magnopere reprehendunt perturbationes animorum: quas propterea animi ægritudines ac morbos (quod tu quidem acutè indicaſti) appellare malunt quàm affectiones. Sed dum ego de Oratore loquor, arbitror equidem me de homine loqui & mortali, quique non cum beatis mentibus, & immortali illo cælituum diſſerat cœtu: ſed apud homines ac mortales verba faciat. quapropter non video, mi Sigoni, quem locum habere poſsit inter homines egregia iſta ἀπάθεια Stoicorum: vehementerque miror cur Lunam Stellasque cæteras laſsitudini & conſumptioni faciant obnoxias, easque propterea

pterea ne in morbum incidant ac senium, terræ vaporibus reficiant: hominem verò humanis affectionibus & perturbationibus obnoxium esse non patiantur. Quinetiam (vt ingenuè fatear) dum affectus tollunt isti ac motus animorum, videntur mihi Naturæ ipsi repugnare, quæ homini affectiones vtiliter ac sapienter ingenerauit, ac gigantum more cum optimo ac sapientissimo hominis authore, ac parente Deo bellum gerere. Quare amplectantur Stoici (si valent) ἀπάθειαν illi suam: qua veluti septemplici clypeo sese tegant: insusurrent sectatoribus suis Epicteti illud ἀνέχου καὶ ἀπέχου † quo omnia siue Naturæ, siue fortunæ tela retundant: iactent viro sapienti, ne in summis quidem cruciatibus aliquid de fœlicitate detractum esse: pugnent eundem, licet distortissimus sit, esse formosum: licet mendicissimus, diuitem: licet seruitutem seruiat, Regem: statuant vitium vitio, virtutem virtuti parem semper esse: ac proinde non minùs delinquere, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quàm qui hominem parentemque ipsum suffocarit: ac muscæ morsum ferre, & graue vulnus, esse æquale: denique affe-

l.l.17.

ctus in suo illi regno criminentur: ac frustra, immò verò magno cum Naturæ malo datos esse conquerantur. quin, si possunt, hominibus sensum atque adeò animum adimant; effigiemque vnã relinquentes, in statuas illos lapidesque conuertant. Nos enim non Stoici esse volumus in præsentia, sed æquissimum Peripateticorũ Academicorũque sequi iudiciũ: ac Naturæ quæ mortalibus affectus prudẽter inseruit, prudenter obtemperare. Quamobrem cum ὁ λέγων καὶ οἱ κριταί, *(id quod sapienter nobis in memoriam † reuocabat Plato)* φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχωσι, *ac tam* †i *is qui dicit, quàm qui audiunt ij sint, à quibus vt Terentianus ille † Cremes humanarum* †i *gnarus rerum de se ipso fatebatur, humani nihil alienum putandum est; libenter audiam M. Tullium tum his opem verbis ferentem*

Contra eosdem Stoicos concitatricis eloquẽtiæ dignitas multis exemplis illustratur.

» *Plancio, Non opibus contendo, non authoritate, nõ gratia: sed precibus, sed lacrymis, sed*
» *misericordia: mecumque vos simul miserrimus & optimus obtestatur parens: & pro vno*
» *filio duo patres deprecantur: tum P. Syllæ & posteris in summa calamitate his vocibus mœstissimis succurrentem. Hic vos orat, Iudi-*
» *ces, paruus filius, vt se aliquando, si non inte-*

gra

gra fortuna, at afflicta patri suo gratulari si-,, natis. huic misero notiora sunt iudiciorum ,, itinera & fori, quàm disciplinarum. Non ,, iam de vita P. Syllæ, Iudices, sed de sepul-,, tura contenditur; vita erepta est superiore iu-,, dicio: nunc ne corpus eijciatur laboramus. ,, quid enim est huic reliqui quod eum in vita ,, hac teneat? aut quid quamobrem hæc cuiquã ,, vita videatur? nuper is homo fuit in Ciuitate ,, P. Sylla, vt nemo ei se neque honore, neque ,, gratia, neque fortunis anteferret. nunc spolia-,, tus omni dignitate, quæ erepta sunt non repe-,, tit: quod fortuna in malis reliqui fecit, vt cũ ,, parente, cum liberis, cum fratre, cum his ne-,, cessarijs lugere suam calamitatem liceat, id ,, sibi ne eripiatis, iudices, vos obtestatur. Et , post paulò. O miserum & infœlicem illum diẽ , quo Consul omnibus centurijs P. Sylla renun-,, ciatus est: o falsam spem: o volucrem for-,, tunam: o cæcam cupiditatem: o præposte-,, ram gratulationem. quàm citò illa omnia ex ,, lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas ,, reciderunt. vt qui paulò ante consul designa-,, tus fuisset; retineret repente nullum vestigium ,, pristinæ dignitatis. quid enim erat mali quod ,,

,, *huic spoliato honore, fama, fortunis deesse vi-*
,, *deretur? aut cui nouæ calamitati locus vllus*
,, *relictus esset? vrget eadem fortuna quæ cœ-*
,, *pit: reperit nouum mœrorem: non patitur ho-*
,, *minem calamitosum vno modo afflictum, vno*
,, *in luctu perire. Sed iam impedior egomet, Iudi*
,, *ces, dolore animi ne de huius miseria plura di-*
,, *cam. vestræ iam sunt partes Iudices: in vestra*
,, *mãsuetudine atque humanitate causam totã*
repono. Neque verò acerbè feram, vt Demea ille qui filium Ctesiphõtem quẽ frugi esse putabat, meretricijs amoribus captum deprehendit æquißimo dolori suo his satisfaciat verbis† Hei †in
,, *mihi quid faciam? quid agam? quid clamem*
,, *aut querar? ò cœlum, ò terra, ò maria Ne-*
ptuni. Audiam etiam libenter Aeneam Lausi, hoc est hostis, mortem non sine lacrymis †indolentem. † l. Æn.

,, *At verò vt vultum vidit morientis &*
,, *ora,*
,, *Ora modis Anchisiadès pallentia miris,*
,, *Ingemuit miserans grauiter, dextram-*
,, *que tetendit:*
,, *Et mentem patriæ subijt pietatis imago.*

Quid

Quid tibi nunc miserande puer pro lau- ,,
dibus istis? ,,

Tanta est enim uis humanitatis ut pij viri inimicorum etiam malis dolere interdum cogantur. Maximè verò omnium admirabor atque suspiciam M. Tullium, qui & Milonem praclara rectè factorum conscientia fretum sic loquentem induxerit. De me semper ,,
Populus Romanus, semper omnes gentes lo- ,,
quentur: nulla vnquam obmutescet vetustas. ,,
quin hoc tempore ipso cum omnes à suis inimi- ,,
cis faces inuidia mea subijciantur, tamē omni ,,
in hominum cœtu gratijs agendis, & gratula- ,,
tionibus habēdis, et omni sermone celebramur. ,,
Cētesima lux est hac ab interitu P. Clodij; & opi ,,
nor, vltra quā fines Imperij Pop. Rom. sunt, nō ,,
solùm fama iā de illo, sed etiā lætitia peragrauit. ,,
quamobrē vbi corpus hoc sit non laboro: quo- ,,
niā omnibus in terris etiā versatur, et sēper ha ,,
bitabit nominis mei gloria: et ipse rursus dolore penè cōfectus ac lacrymis, sic Miloni responderit. Ego quidem Milo te, quod isto animo es, ,,
satis laudare nō possum: sed quò est ista magis ,,
diuina uirtus, eò maiore à te dolore diuellor. ,,
Nec uerò si mihi eripieris, reliqua est illa ,,
tamen

„ *tamen ad consolandum querela, vt ijs irasci*
„ *poßim à quibus tantum vulnus accepero. non*
„ *enim inimici mei te mihi eripient, sed amicis-*
„ *simi: non malè de me meriti, sed semper opti-*
„ *mè. nullum vnquam, Iudices, mihi tantum*
„ *dolorem inuretis (etsi quis potest esse tantus?)*
„ *sed ne hunc quidem ipsum, vt obliuiscar quã-*
„ *ti me semper feceritis. Quæ si vos cœpit obli-*
„ *uio, aut si in me aliquid offendistis, cur non id*
„ *meo capite potiùs luitur quàm Milonis? &*
Iudices rursus ac populum sic nitatur flectere
„ *ad clementiam & lenitatem. His lacrymis*
„ *non mouetur Milo: est quodam incredibili*
„ *robore animi: exilium sibi esse putat vbi vir-*
„ *tuti non sit locus: mortem Naturæ finem esse,*
„ *non pœnam. sit hic ea mente qua natus est:*
„ *quid vos Iudices? quo tandem animo eritis?*
„ *memoriam Milonis retinebitis, ipsum reij-*
„ *cietis? & erit dignior locus in terris vllus, qui*
„ *hanc virtutem excipiat, quàm hic qui pro-*
„ *creauit? Vos vos appello fortißimi Viri, qui*
„ *multum pro Republica sanguinem effudistis:*
„ *Hæc tanta virtus ex hac Vrbe expelletur? ex-*
„ *terminabitur? eijcietur? O me miserum, ò in-*
„ *fœlicem. reuocare tu me in patriam Milo*

po-

potuisti per hos : ego per eosdē in patria retinere non potero? quid respondebo liberis meis qui te parentem alterum putant? quid tibi Q. Frater, qui nunc abes, consorti mecū temporū illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem per quos ille nostram seruasset? Ad extremùm eiusdem humanitatem probabo & charitatem, qui inter amabiles illas, voces ne dicam an lacrymas? & lacrymas dicam, & voces: quas sanè quoniam mirificè illis oblector, repetere est periucundum; sic peroret causam illam. Hiccine vir patriæ natus, vsquam nisi in patria morietur? aut si fortè pro patria huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex hac Vrbe expellet, quem omnes Vrbes expulsum à vobis ad se vocabunt? ò terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam si eiecerit: miseram si amiserit. Sed finis sit, neque enim præ lacrymis iam loqui possum: & hic se lacrymis defendi vetat. Hæc ad tua illa exempla, ac rerum gestarum memoriam mi Sigoni. Qui sanè dum ais legem (iā enim ad tuas rationes mea progreditur ADRATIONES prioris sententiæ.

ora-

oratio) quam iuſtitiæ propugnatricem facis, mentem quandam eſſe affectionibus vacuam, vtinam tàm verè diceres, quàm diſputas eleganter. ſiquidẽ ſi lex mente nõ careret ac voce, quàm vehemẽter iudices auditoreſque percelleret, & obiurgaret, vt eorũ ſiue ignauiæ & tarditati, ſiue petulãtiæ, & improbitati conſuleret ac mederetur? quàm etiã in Oratores multos exardeſceret, qui cũ Oratoris perſonã ſuſtineãt, vt laborantibus ſuccurrant: perterreant iniquos: afflictorum cauſas tueantur; ſic ſæpe languent ac frigent, vt Rei in deſidiæ atque inertiæ portum confugiſſe videantur. Quin te, te inquam Carole, in iudicium vocaret, ac tanquam perduellionis reũ faceret: cum eloquẽtiæ florem atque adeò eloquentiam ipſam deleas: quæ vt eſt optima Reip. moderatrix & cuſtos, in omni libero populo ſemper dominata eſt. Quare agedum mi Sigoni, ac rem omnem tecũ ipſe attentiùs reputa: intelliges enim non tam excellenti illo (vt tu quidem loqueris) legis bono carere Oratorẽ meũ, quàm legẽ tuam propter ἀπάθειαν illam ſuo ſæpe fine fruſtrari. Sed quoniã iudicis auditorũque mẽtes dũ nulla permotione impelluntur, cũ regula ac perpendiculo conferre

ferre non dubitasti, vide obsecro quid statuas: mihi enim vulgus ac ciues quibuscum sæpißimè agit Orator, vsque adeò abesse vidētur ab ista laude, vt, si me audias, ob id maximè precibus, indignatione, cæterisque huiusmodi machinis sæpißimè egeant, quibus ad regulam & perpendiculum reuocentur. Itaque sapiens Orator potiùs (mihi crede) retinendus est, qui cōcitandarum mentium scientia tanquā auriga optimus atque sapientißimus auditores opportunè, siue cohibere poßit, siue impellere: quàm sinendum vt animorum motus, immo eloquentia ipsa eodem labefactata motu, concidant & exarescant. Cum præsertim & Natura doceat & ratio, vt quod docendo efficere nequit Orator (vix enim sapientibus atque inter priuatas easque longè accuratas disputationes veritatem interdum licet attingere) id vt permotionibus consequatur velis remisque nitatur. Nisi fortè nautas soluere iubeas, seque fluctibus obijcere ac tempestatibus: peritum tamen Magistrum improbes, qui inter procellas & scopulos nauim opportunè aut impellere aut retardare conetur: aut etiam quocunque ratio postulet, flectere & reuocare. Denique irā (irā

inquam non excãdeſcẽtiam: hanc enim vnam ad furorem proximè accedere affirmat, ac iure optimo affirmat inter cæteros magnus ille Baſilius) fortitudinis quaſi cotem cum Academicis eſſe dicimus: quæ ſanè virtus, quoniam in rebus arduis difficillimiſque verſatur, ſine iræ præſidijs plerunque iaceret. Sed & malum perniciemque vt declinemus, timore, indignatione, odio; bonum arduum vt conſequamur, amore & cupiditate, ſpe etiam & voluptate opus eſt. Demum ne in perturbationibus omnibus earumque vtilitatibus recenſendis ſim longior, ſuum quiſque habet affectus vſum atque opportunum locum, quem optimè omnium ſapiens & nouit & captat Orator. Quare (vt me omnino explicem: ac rem vniuerſam concludam) dummodo vel Reipublicæ ſaluti bonorumque innocentiæ cõſulamus: vel opem impotentibus calamitoſiſque afferamus, iuſtitiamque propugnemus, nõ modò probabo lacrymas & ſupplicationes; ſed æquo etiam animo ſuſtinebo clariſſimorum virorum imagines proferri: fortiſſimorum ciuium cicatrices ſub iudicum aſpectum denudari: cruentas occiſorum depromi veſtes &

REFVTATIS prioris ſẽtẽtię argumẽtis, confirmãtur poſterioris rationes & peroratur.

oſten-

ostentari: mortuos quasi ab inferis sepulchrisque excitari, & loquentes induci: vrbibus ac mœnijs ipsis clamores ac voces affingi: ciues bulla calceorumque lunis, ac cæteris nobilitatis insignibus spoliatos adduci: orbatos parentibus filios humeris extolli: sordidatos, squalidos, atratos etiã produci amicos atque propinquos: quibus auditorũ mẽtes vel ad iram vel ad indignationem odiũque incẽdantur: vel ab hisce permotionibus ad lenitatẽ misericordiamque reuocentur. Denique quoniã hunc quem fingimus Oratorem non humanitatis expertem esse volumus ac propè ferreum, sed humanum ac probum, inprimis verò Religionis ac Patriæ peramantem, nulla humanitatis ac probitatis argumenta, nulla beneuolentiæ ac pietatis officia Patriæ ac bonis ciuibus denegabit. Quapropter latera, ora, linguã, vocẽ, clamores, in tyrãnos nefariosque ciues & hostes intendet: in hos auditorum indignationes, & inuidias, in hos iras, odia, ingentesque tragœdias excitabit: in hos eloquentiæ tela omnia fulminaque vibrabit. cõtra verò precibus, supplicationibus, suspirijs, lacrymis, gemitibus, omnibus demũ quibus poßit charitatis officijs

præsto erit amicis ac bonis omnibus. beneuolētiā ijs, gratiā, clemētiā, amorē conciliabit: et (vt rē breuissimè perstringam) Naturæ ac Patriæ quæ illū ad hæc genuit, ad hæc educauit, ad hæc instituit & informauit, pro viribus obtēperabit. QVAE cū ita sint, prodeant obsecro è suis tenebris egregij illi Areopagitæ: ac si Oratori interdicere velint quo minùs afficere poßit auditorum animos, in iudicium quoque vocent Naturam: hanc temeritatis insimulent quæ ardētes amoris indignationisque igniculos inseruērit in hominum animis: eandem veluti humani generis nouercam, nūtricemque improbam cædi iubeant, quòd homines ad pietatem, ad timorem, ad cæteras eiusmodi affectiones informarit: carceres supplicationibus parēt: exilium comminentur lacrymis: in triremes amandent lamentationes: relegent in desertas Insulas miseros liberorum gemitus ac parentū suspiria: pistrina, bestias, metalla, tortores, ignes ipsos, ac si quæ sunt alia pœnarum genera proponant sordidatorum querimonijs atque mœrori: homines demum Medusæ illis obiecto siue clypeo, siue capite spolient humanitate, atque in lapides commutent, vnam illis

effigiem

effigiem hominis relinquentes. HAEC cum perorasset Statius, cõquieuit. Tum verò Muretus. Næ tu Carole robustum aduersarium nactus es: et (vt ingenuè fatear) te planè dignũ: pugnastis enim vtrinque strenuè: meque tam egregiæ spectaculo dimicationis non delectastis solùm, sed propè beastis. Quanquam illud me interim angit ac torquet, quòd longiùs impar sim vobis doctrina & ingenio, quàm vt iudicium interponere ualeam pro dignitate in tam nobili dissidio & contentione: præsertim hoc tẽpore, cum non vnius mihi, sed amborum sunt momenta virium expendenda. Ne igitur omnino imparatus tantum aggrediar opus, dabitis mihi hanc veniam, vt in crastinum reijciã rem totam. Nam si non cum fœnore persoluam debitum: at certè minùs imparatus offendar. Quæ cum dixisset, assensimus omnes: simulque surgentes, post mutuas salutationes ad suam quisque domum (iam enim imminebat nox) recta contendit.

HAEC sunt BENEDICTE CARDINALIS AMPLISSIME, quæ in pulcherrima controuersia à viris clarissimis, ac summis eloquentiæ doctrinæque præsi-

dijs

diјs ornatißimis disputata, venerationis erga te meæ & obseruantiæ singularis monumentũ esse volui. Cæteras verò disputationes quæ in sequẽtibus diebus habitæ sunt de reliquis oratorijs controuersiis propè omnibus, tunc demũ persequar, ac literis consignabo, cum tibi CARDINALIS Religiosißimè, Sacri Cardinalium Senatus lumen ac decus eximium, hanc non iniucundam accidisse perspexero.

F I N I S.





ERRATA SIC CORRIGITO.

pag. 56. vers. 16. fœce corige face.
ead. pag. uers. 17. cano corrige cœno.

SERIES CHARTARVM.

† ABCDEFGHIKLM.

Omnes sunt Duerniones, præter† semis.

ROMAE,
Ex Typographia Gabiana.
CIↃ IↃ XCIV.



